JOHANNIS COLERI

De

# BOMBYCE

## DISSERTATIO.

---

*GIESSÆ HASSORVM,*
Typis & Sumptibus FRIDERICI KARGERI.
ANNO ÆRÆ CHRIST. M. DC. LXV.

VIRIS,

*Magnificis, Nobilißimis, Excellentißimis, Conſultißimis, Experientißimo, Plurimum Reverendis, Clariſſimis, Prudentißimo, Graviſſimo ac Spectatißimo.*

DN. HERMANNO Von Dörne/inclytæ Reipublicæ Lubecenſis Conſuli primario, meritiſſimo.

DN. DAVIDI GLOXINIO, ejuſdem Urbis cæterarumque Hanſeaticarum civitatum Syndico primario, meritiſſimo, nec non maximè reverendi Synedrii Eccleſiaſtici Lubecenſ. Præſidi graviſſimo.

DN. JOHANNI FRANCKEN / J. U. D. celeberrimo.

DN. GODOFREDO ACIDALIO Sereniſſ. Elect. Brand. & Duc. Holſat. Conſil. & Medico Laudatiſſimo, Digniſſimo.

DN. M. JOHANNI REICHIO, Paſtori ad D. Ægidii, quod Lubecæ eſt, vigilantiſſimo, meritiſſimo.

DN. JOHANNI NICOLAI, Paſtori ad D. Petri, quod Lubecæ eſt, vigilantiſſimo, meritiſſimo.

DN. HERMANNO PETERSEN, Reipubl. Lubec. SENATORI Prudentiſſimo, Graviſſimo.

DN. HERMANNO à LINGEN, Civi ac Mercatori in Urbe Lubeca primario.

DOMINIS, MÆCENATIBUS & PATRONIS SUIS MAGNIS.

L. S.

PArnassum, Musarum Regiam, multis obsitam dumis, accessuque molestam veneranda antiquitas non absque ratione finxit: Quanto enim labore, quãto sudore mediocris, ne dicam solida, acquiratur eruditio, quam per *P*arnassum veteres adumbrarunt, satis superque patere arbitror; adeò, ut vere Tragœdus ille Seneca dixerit:

*Non esse ad astra mollem è terra viam.* [a] *a in Hercule furente. 2. v. 356.*

Verum enim vero hanc ob causam animus constantia firmus à virtutis tramite nondè terrebitur; Siquidem omnes, quæ in ascensu obtigere, difficultates, facile ipsius verticis amœnitas, cum oculos in stuporem vertit exoptatum Salutis domici-

lium

lium, superat atque imminuit. Aspera quamvis difficilisque sit via, quâ ad eruditionis culmen itur, exitu tamen salutaris & glorioſa est. Eleganter hoc innuit β Silius Italicus, dum ita virtutem alloquentem Prodicum Herculem facit:

β l. 15. Bell. Pun.

*Mecum honor & laudes; & lato Gloria vultu,*
*Et Deus, & niveis Victoria concolor alis:*
*Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus.*
*Casta mihi domus, & celso stant colle penates;*
*Ardua saxoso perducit semita clivo.*
*Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)*
*Prosequitur labor, ad nitendum intrare volenti. &c.*

Omni ævo hoc obtinuit; de sudore manare gloriam. Vndè γ Ascræus ille vates rectè cecinit:

γ ἔργ. v. 287.

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι.

A quo

A quo non abludit veterum sapientum illud ex Hebræis antiquum proverbium: אי לאו דלינא המפא לא משתכחת מרגניתא תותיה *Nisi elevassem ego lapidem, non inventa fuisset margarita sub eo.*

Laboranti propitium Numen adest: Nam, הבא ליטהר מסייעין לו *Qui venit, ut mundetur, ei opem ferunt*, divinitus scilicet ejus conatus juvatur & promovetur.

Quocirca, ut ego, cui vestibula quidem Musarum introëundi, nondum vero ipsa adyta perscrutandi potestas concessa fuit, ardorem meum nitendi ad arduam virtutis semitam quodamodo indicarem, hæc de Bombyce ex Antiquitatum monumentis colligere volui, ratus, meliusesse progredi, quam cunctari.

Laborem non exiguum materiæ dignitas & scriptorum in eâ expoliendâ paucitas, nec non librorum penuria attulit, quam tamen solata hîc locorum est maximâ ex parte ante acta cura, cum Lubecæ essem. In manus quidem Hieronymi Vidæ carmen de bombyce, ut etiam, sero quam-

vis

d] *l. 2. de insectis c. 6. & 7.* vis, [d] Ulysſis Aldrovandi de hoc verme e] *Sic eũ Auſonius appellat.* [e] veſtifluo annotata venerunt, verum in non nullis, non omnibus lucem attulere. Audivi, Martiniũ ſcriptorẽ rerũ Chinẽſiũ ſat accuratũ de Bõbyce quædãpublici juris feciſſe, verum copia illorum videndorum nondum magnoperè illud petenti fuit data. Thuanus lib. CXXIX. hiſtor. meminit, ſub Henrico IV. Galliarum Rege librum de ſerico conficiendo ſuaſu Santoti Pariſienſis eſſe conſcriptum linguâ vernaculâ Gallicâ ab Olivario Serrano: verum nec ille hactenus viſus. His itaque commotus, Antiquitatem perluſtravi, atq; ex eâ, quantum fieri potuit, Bombycem adornavi, memor dicti Sapientiſſimi

† *Berach. fol. 63. 1. & in Pirke awth capitulis Patrum c. 2.* †Hillelis: במקום שאין אנשים השתדל להיות איש Quod autem, Mœcenates ſummè devenerandi, illuſtribus, nobiliſſimis, clariſſimis ac ampliſſimis veſtris ingeniis hanc diſſertationem inſcripſerim, ne miremini: Maximus veſter ergà ſtudia favor ad hoc conteſtandæ gratitudinis officium qualecunque compulit illum, qui

ſe

se multò majora debere lubens fatetur. Vos, Patroni summi, qui ab usu diuturno & assiduo magnarum rerum peritissimi, Rempubl. vestram & Ecclesiam consiliis salutaribus, doctrinâ excellente ac cura indefessâ gubernatis, cives servatis, clientesque, utacerrimi ingeniorum æstimatores fovetis: Vos, inquam, lætâ fronte materiam hanc de Bombyce, à foro quidem vestro abhorrentem, non tamen usu alienam, suscipietis: Nec tantum suscipietis, verum etiam conatum meum in elegantioris literaturæ exercitio æqui bonique consuletis. Valete, Viri Magnifici, Excellentissimi, Experientissime, Plur. Reverendi, Amplissimi, ac vota cottidie pro vestra omnium incolumitate facientem vestro amore ac favore complectimini.

*Dabam Giessæ Cattorum A. D. III. NON. APRIL. Anno AEræ Christianæ MDCLXV.*

V. V. Magnificent. Nobilitat. Clarit. Amplitud. & Humanit.

*devotus cliens*

JOHANNES COLERUS Luber. AUTOR.

*Eximio & Præstantissimo Domino*
JOHANNI COLERO,
*Primum hoc docti laboris specimen felix*
*ac faustum esse jubet,*
ADAMUS TRIBBECHO.

Epigr.

*Dilectam Phœbo memorent Latoida Graji,*
*Et referant Coum textilis artis opus.*
*Artifices Serum dextras, depexaq; fila,*
*Et densata iterum stamina jactet EOS:*
*Decedant Seres COLERO & Pamphila, Coas*
*Illius & calamus pennaque vincit acus:*
*Byssina dum vere facit & Bombycina verba,*
*Illaq; cast alio tincta colore lavat:*
*Autorumque legens flores memorandaq; dicta,*
*Palladio clarum pectine texit opus.*
*Ergò velut bombyx redviva morte resurgit,*
*Et prohibet fatis ultima fata suis:*
*Sic bombyx, COLERE, tuus, Phœnicis ad instar*
*Vt sua fata novat, sic tua fata fugat.*

---

*Scandit in excelsum virtus; Industria mentem*
*Sublevat: his alis astra, COLERE, subis:*
*Scandis, & in summo stans vertice, despicis ima:*
*Mens erecta gravi sperne nescit humo.*
*Scandere si pergas (incompta crede Camœna)*
*Vnus erit Comitum Fructus, & alter Honos.*

Paucis hisce Præstantissimo Doctissimoque
Dn. Autori gratulari voluit,

Antonius Henricus Gloxin.

אכ"ר

# DE BOMBYCE.

## CAP. I.

*Etymologia*: Βομβεῖν *propriè apum & vesparum. Ab Oriente ad Græcos nomen bombycis pervenit contrà Isidorum & alios. Homonymia*: *quid* סְלְעָם *in Leviticо. Bombyces tibiæ*: *Apud Plinium quid bombyx*: *Suspicio mendi. Confundunt eruditi bombycinum & sericum cum laneo & gossypino. Isaacus Vossius in not. ad Melam notatur. Pollux byssum, crioxylon & bombycem accuratè distinguit. Synonyma. Fulleri opinio: quid* סס *apud Esaiam? Paronyma: Fullerus & R. Kimchi taxantur secundum veriorem mentem Buxtorfii. Bombycinum à bombacino distinguitur. Quid bambax sive bombax. Sericarius, Sericobapta Alciato baphius: Grammatica observatio.*

INter alia naturæ miracula, quæ varia passim in hac universitate mortalibus in conspectum prodeunt, & *Bombycem* esse numerandum, nemo ab Antiquitatum monumentis, quin imò experientia ipsa, quam rerum omnium Magistram merito salutamus, eruditus facilè negabit.

De illo verme sericario in præsentiarum dicturi, ipsum

plum ejus nomen hoc in limine exercitationis paucis delibabimus.

Appellatur autem bombyx, græcè βόμβυξ, ὁ: item βομβύλιον, ἀπὸ τὸ βομβεῖν, ut quibusdam videtur: qui sonus etsi propriè est apum & vesparum, quas bombire Scriptores à βομβεῖν dicunt: *Aristophanis Scholiastes*: Βομβυλὶς εἶδος μελίσσης, καὶ ἴυγξ ἀπὸ τὸ βομβεῖν: Transfertur tamen & ad alios sonos, *vide lexicon* H. Stephani *in voce hac*: & sic fors etiam ad bombycum sonum, quem eo tempore, cum papiliones sunt facti, edunt. Compositum autem hoc vocabulum autumant per ὀνοματοποίαν ex sono βομ, βομ, qui ore, an vero alis cieatur, apud Baconem de Verulamio Baronem & vice Comitem S. Albani lege *in hist. nat. cent.* 2. *sect.* 175.

Isidorus Hispalensis Episcopus aliam derivationem affert *l.* 12. *Originat. c.* 5. *Bombyx*, inquit, *vermis frondium, ex cujus textura bombycinum conficitur. Appellatur hoc nomen ab eo, quod evacuetur, dum fila generat, & aër solus in eo remaneat.* Sed vocabulum, judicio Gerhardi Vossii & Fülleri, verisimilius cum re ab Oriente ad Græcos manavit. Nam, quod Isidorus voluisse videtur à bombylio vase derivari, quia, ut hoc bibendo exhauritur, & exhaustum nihil præter aërem habet, ita bombyx exhauriatur nendo, ut nihil præter aëra contineat, non magni est æstimandum: Si enim Originem traxit à bombylio vase, potius figuram respexisse putandum est. Bombyx enim textili suo nido involutus refert bombylium vas, in quo collum angustũ, venter pominens ac turgidus, fundus acutus. Adi Vossium *in Etymolog. M. nuper edito*. Salmasium *in comment. ad Tertulliani pall. p.* 231. Füllerum *in Miscell. sacris l.* 2. *c.* 11. *p.* 249.

Homonymiam quod attinet, vox bombycis varias admittit significationes. Primo enim vermem innuit sericarium

carium, *qui instar araneæ fila net, quæ bombycina vocamus.* Pollux *in Onomast. l.* 17. *c.* 17. Arabes à R. יוֹאֵל הַרִיר הַד vermen setæ vocant: Germanis dicitur, ein Seydenwurm. Hebræi, ut quidam censent, voce סָלְעָם exprimunt, quæ *Levitici* 11. *v.* 22. occurrit: Ubi Talmudistæ speciem locustæ denotari scribunt, *Cod. Cholin. cap.* 3. *fol.* 63. sic dictam à סָלַע, quod petris delectetur: Videantur lexica Buxtorfii.

Significat secundo instrumentum Musicum. Clarè hoc evincit Pollucis locus *l.* 9. *c.* 9. *onomast.* dum ait: *Aliarum tibiarum partes sunt,* γλῶτται, τρυπήματα, βόμβυκες: quamvis & pro ipsis sumantur tibiis. Scalig. *l.* 1. *poët. cap.* 20. *Tibias,* inquit, *Syriacas audaciam atque impetum spirare prodiderunt. Quare, si ad usum spectes, ad leges entheas & ortheas referuntur. Syris similes bombyces, & aptæ ὀρθίοις νόμοις.* Adi hac de re Turnebum *lib.* 17. *advers.* 2. 20. Martin. *in lex. Philolog.*

In longis tibiis numerari debent, quæ ab Aristotele περὶ ἀκουσῶν appellãtur βόμβυκες, quas tamen difficilius ait inflari. πάντες γὰρ, inquit, χαλεπῶς πληροῦσι τὰς βόμβυκας, καὶ μετὰ συντονίας πολλῆς διὰ τὸ μῆκος τῆς ἀποστάσεως. id est, interprete Patritio; *Omnes difficulter implent bombyces, & cum contentione multâ ob longitudinem distantiæ.* Verum pluribus hac de re differentem legat benevolus lector θαυμάσιον istum Salmasium ad Solinum Polyhistorem. Hinc & calamum tibiarum generi idoneum Theophrastus *hist. plant. l.* 4. *c.* 12. & Plinius *N. H. l.* 16. *c.* 36. vocant βομβυκίαν.

Tertio per Synechdochen vox bombycis extensa est ad omnem molliorem lanuginem, unde vestes texerentur. Id ità se habere liquet ex Plinio, qui eri oxyla sive interiorem gossypii lanuginem bombycem vocat *l.* 19. *N. H. c.* 1. *Superior,* ait, *pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem alii gossypion vocant, plures xylon, & ideò lina inde facta xylina. Parvus est, similemque barbatæ nucis de-*

*fert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur, nec ulla sunt eis candore mollitiâ ve præferenda. Hæc ille*: ubi per bombycem minimè intelligere debemus fila bombycum, sed lanuginem fructu xyli contentam, quam sic vocant, quia & mollitie similis est bombycum operi, & similiter ex ea telas nent, vestesque texunt. Evolve hæc de lanugine Ulpianum in L. *si cui lana legetur ff. A. Leg at.* III. Vossium *in Etym.* L. L. *p.* 75. Tiraquell. *Leg.* 3 *Connub. num.* 18. Salmasium in Solinum. Quamvis suspicari ausim, locum Plinianum librariorum vitio esse corruptum, ut pro bombyce legendum sit bombace, præsertim, cum bombyx eo significatu non occurrat. Interim sunt inter eruditos, qui bombycinum & sericum cum laneo & gossypino confundunt, inter quos contrà Salmasium pugnantem vide sis Isaac. Vossium in not. Pomp. Mel. Inter alia ille, *è teneerioribus plantis & foliis subtilissimum ac præstantissimum fieri sericum* asserit: Pollucem verò dum laudat, ejus testimonio suam ipsius sententiam evertit: Uno enim eodemque capite tractat Pollux de byssо, de erioxylo, de bombyce, quæ accuratè distinguit: illi autem capiti male titulus appositus περὶ βυσσίνων, quasi & bombycina illo nomine comprehenderentur, aut gossypina. Manifestam distinctionem, ut alia taceam testimonia, inferunt verba Tertulliani *lib. de cultu feminarum. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ.* Nec, quomodo differant, obscurum esse potest, cum byssus è terra nascatur, sericum verò producatur à vermiculis, sive curâ in ædibus asservatis, ut apud nos Germanos passim fit, sive fila in arborum foliis gignentibus, ut postea sericum depectatur, quod in Persia fieri memoriæ proditum est.

Ad Synonymiam ut accedamus, appellatur Bombyx etiam, Ser, *vid.* Lexicon Martinii phil. Et Fuller. l. 12. Misc.

*Miſc. ſacr. c.* 11. qui in eâ eſt opinione, Ser derivari à Ses, mutato S in R, cum ſæpè illud fiat tùm à Græcis, tùm à Latinis, ut ἄῤῥην pro ἄρσην, honor pro honos cæteriſque ejuſmodi: & ſic ſetam quoque à Ses, cujus genitivus ſetis eſt deduci oportere: Ses autem à voce Hebtæa סס ejuſdem ſignificati, quæ *Eſaiæ c.* 51 *v.* 8. occurrit, originem trahere autumat. Verum abeunt ab ipſo alii, ſtatuuntque, Ser dici â Seribus, gente illa Indiæ, de cujus ſitu infra pluribus: apud quam hic ſericarius vermiculus ingente numero reperitur: quibus & nos album adjicimus calculum, uſque dum firmioribus argumētis probetur, per vocem סס apud Eſaiam bombycem, nec potius tineam ſ. blattam quæ *Matth. 6. v.* 19. græcè vocatur σής, denotari.

Paronyma ſunt bombycinus & ſericus. Fullerus l. cit. & hic à viris doctiſſimis diſcedit, dum ſer derivatum putat per Apocopen uſitatam à ſerico tanquam principali, quemadmodum à פוניקיא fit Pœnus: At vero longè alia ratio; quandoquidem Ser ſubſtantivum à Serico, quod adjectivè ſumitur, denominari nequit.

Sed ſericum ipſi ſubſtantivum eſt, & quidem dictum סריקון, quod Orientalibus vacuum ſinane deſignat: Quoniam ſericum, ut ait, inanitate quadam pulcherrimâ ubique reſperſum ac veluti pertuſum, tum pendulis araneorum telis æquabili tenuitate eſt ſimillimum. Verum longè hoc abludit, æquè ut illud R. Kimchi & Pagnini in lexic. ſub R. שרק, quo סריקון exponitur figuratum: Latina enim vox eſt סריקון Sericum docente Buxtorfio in lexic. Talmud. Maj.

Bombycinum à bombacino prorſus differt, ut ſuprà etiam innuimus: Bombyx enim eſt vermiculus, bambax vero ſive bombax eſt lanugo mollior, goſſypium: unde penes Autorem Gloſſarii Arabico-latini legas: *Mambax*

*vel bambax, id est, gossypium.* Apud Nicolaum Myrepsum habes βομβάκιον: hinc & bombacem & bombacium dixere, quod satis superque hic Suidæ locus indicat, Βάμβαξ, ἢ παμβαξ, ἢ παμβακις, τὸ παρὰ πολλοῖς λεγόμενον βαμβάκιον: A βάμβαξ Italicum est *bambagia* ac *bombazo*: Germanis vocatur *baumvvoll*, ac Belgis *boomvvol* q.d. arborum lanam. Bombycinum itaq; idem est quod holosericum, ut vestes bombycinæ. Consule Tiraquell. L. 3. *Connub. n.* 18. Salmasium *ad Tertull. pall.*

Sericarius & *S*ericobapta est, qui versatur circà sericum, illud tractat variisque imbuit coloribus. Adi *S*almas. d.l. Dicitur etiam baphius παρὰ βάπτειν, quod est tingere. Lege Alciatum *in l. balluca c. de metall. l.* 11.

Coronidis loco ex Grammaticis hic monemus, bombycem proverme usurpatum reperiri in masculino genere apud *S*criptores: unde Martialis *l.* 8. *epigr.* 13.

*Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.*

Pro setâ autem in feminino. *Vid. Vossius in Aristarcho suo.* Quamvis illud discrimen non nunquam min⁹ observetur.

## CAP. II.

*Bombycum descriptio, sive Nativitas, magnitudo, somnus, exuviæ, textura cum nidulis. Metamorphosis item mira, dum ex verme bombylii, ex bombyliis papiliones s. necydali fiunt. Error non nullorum, qui necydalos & bombylios confundunt, detegitur. Niduli etiam coccones vocantur, Græcis κωκύλια. Sericariorum ars in explicando nemate. Tandem bombycum mors post seminis emissionem exponitur. Annectuntur illustrationis gratia ænigmata quædam.*

COnsiderabimus nunc bombycum naturam ac varia eorundem fata,

*Admiranda tibi levium spectacula rerum*: verius

verius in minimo maxima naturæ miracula adumbraturi. Quod ergò primùm bombycis nativitatem attinet, prodit ille ex minutissimis ovis vermiculus. Generatio ejus variis in locis variè peragitur. Italicæ mulieres, quæ maximam hanc in rem impendunt operam, Sole Taurum transeunte, semen bombycum intrà vestes abdunt, naturalique suo calore fovent: unde fit, ut paucos intrà dies (Vida in carmine de Bombyce, quod Scaliger in hypercritico suo Regem librorum ipsius appellat, tertium ponit v. 140.) vermiculi nascantur. Olearius Polyhistor ille celeberrimus *in Itiner. Persic. l* 5. *c.* 9. eundem fermè modum apud Persas observavit, dum scribit, semen illos in sacculo quodam sub alis portare, quod ibidem intrà diei spacium excludatur. Procopius & Volaterranus etiam fimi calore excludi posse annotarunt. In locis Boream spectantib⁹ ovicula cultores vermis sericarii, in quibus semen asservatur, ad solis radios intensiores, cum mori protrudunt gemmas, exponunt, & ejus tepore excludi videmus. Primo autem ortu, cùm ovicula perrumpit niger seu subfuscus vermiculus, adeo tenue præ se fert corpusculum, ut vix in oculos incurrat: Sensim vero progressu temporis adolescit, ut bimestre intra spacium crassitiem digiti auricularis adæquet.

Variat magnitudo pro situ locorum: hinc Neapolitanos & Calabricos majores esse Hispanis, Hispanos autem præstantius nere sericum legimus, adi Vossium *l.* 4. *Idol. p.* 1544. Imo testantur isti, qui Italiæ loca visitarunt, ibidem locorum majores esse vermes hos, quam apud nos in Germaniá passim.

Ab ortu ad summum usque incrementum aliquoties cutem veterem more anguium exuunt, quod primâ vice, quando adhuc sunt tenelli, nõ sine vitæ periculo cõtingere solet, Interea autẽ, dum exuvias pristinas abolere parant,

somnus

somnus eos gravis obruit, qui triduum fere durat, decimaque luce ferè incipit. Cibis planè abstinent, donec veluti renovati rursus cibum appetunt. Eleganter Hieronymus Vida in carm. cit.

*Sæpe etiam impastas averti pabula cernes,*
*Sopitasque gravi, veluti torpore, veterno*
*In tabulis: Hic parce, metu ne corpora morbus*
*Forte aliquis, gentemque lues invaserit agram.*
*Hunc illis morem, natura hunc ipsa soporem*
*Addidit: indulgent somno stratisque quiescunt,*
*Sopitisque dies alter transcribit & alter.*
*Cum vero expulerit noctem lux tertia rebus,*
*Consurgent, latæque ad pabula nota redibunt.*

Imminentem hunc lethargum capite erecto exspectant, eumque corporis habitum servant, donec λεβηνέδα sive senectam deposuerunt: Quo digitum intendit Vida, cum pergit:

*Ergò illas tumidas jubeo observare (nec ingens*
*Nosce labor) ne improvisus sopor occupet: ultrò*
*Signa dabunt ipsæ, cælo capita arduà tollent*
*Arrecta, spernentque dapes: tum pigra notabis*
*Corda, animos resides, insueta silentia mensis.*

Initium autem deponendarum exuviarum à capite sumunt, in gyrumque iterum atque iterum contracti variè se corrugant, donec vestem veterem exuerunt.

Duobus adolescunt mensibus, post illud temporis spacium sensim à cibis abhorrent, & nitore quodam contracto tenuissimum ac subtilissimum ore filum, quod setam dicimus, emittunt: quo observato statim ab aliis sunt segregandi, & cucullis, vel alii vasi ad id destinato, includendi, ubi tunicas sive nidulos arte mirabili intra triduũ, non nunquam biduum contexunt, sericum aut album, aut flavum, aut mixtum albedine & flavedine conficientes

tam

tam tenuissimo filo, ut pene fugiat visum, tàm porrectæ longitudinis, ut cum Marone dixeris *l.1.æn.v.372.*

*Vrbem bombycis possis circumdare filo.*

Sunt autē niduli ipsorū multis filis hirsuti & horrigomi, in quibus per octo & quot excurrit dies, semi sepulti jacent vermes, qui tunc rectè vocantur bombylii. Brevi novam subeunt metamorphosin, papilionesque fiunt mares ac femellæ, alati quidem cornigerique, græcè νεκύδαλοι, sic dicti, quod diu non vivant. Adi Vidam *l.1. carm.v.265. & 277.* De necydali vocabulo ut & bombylii hic notandum, quod non nulli βόμβυκα & νεκύδαλον confundant. *Clemens Alexandrin.* μετ' ὤν εἰς τρίτην μεταμόρφωσιν νεοχμᾶται βομβύλιον· οἱ δὲ νεκύδαλον καλοῦσιν, ἐξ οὗ μακρὸς νήθεται ἡμῶν. Alii, inter quos Aristoteles, rectius distinguunt: Nam certum est, necydalum dici, qui prodit ex bombyce. *Hesychius:* Νεκύδαλος, τὸ ἐκ τοῦ βόμβυκος ζῷον.

Artifices hodierni sericarii cocconem vocant nidum illum volubilem, quo involvitur bombyx, græci κοκκύλιον, teste Salmasio. Lanuginem illam hirsutam & hispidam, quæ adhæret cortici bombycini folliculi, quæque sic implexa & implicita est, ut evolvi expedirique nequeat, nisi prius humore lentiscat, Laberius lanitiem vocat, planè καταχρηστικῶς. Solent autem cacabum aquâ plenum igne ferventem facere, in quem nidulos sive folliculos conjiciunt, ut materia tunc lenta & sequax melius & facilius evolvatur, & in fila tenuetur. Adi Olearium *de Persis l.5. Itin. c.9.* Tertullianus hic monet, *necandum esse bombycem, cum jam nema suum texendidit: nam nisi tunc necetur, nidum suum textilem pertundere, & evolare assumptis pennis papilionem.* Quod etiamnū hodie bombycinarii observantes, bombyces ante exstinguunt, quā prorumpant papiliones. Ardentissimo enim soli expositos interficiūt in nido ac folliculo,

aut

aut in furno torrendos curant, majoribus tamen reservatis ad semen excitandum. Videsis Salmasium *ad Tertulliani pallium* pluribus.

Quando itaque ex vermibus nova metamorphosi alati prodiere papiliones, sexu differentes, (quod ex magnitudine dignoscitur) instar reliquarum animantium coitum appetunt: post venerem femellæ ova pariunt minutissima ingenti numero, quæ principio flavum, brevi post cinereum trahunt colorem. Hæc asservata in alterum annum tempore certo excluduntur: ubi vero loca sunt calidiora, si vere appetente nativitas maturetur, & prolem eorum haberi posse, constans omnium confessio est.

Tandem, cum omnes naturæ suæ vices subierunt, alati bombyces i. verius papiliones brevi post moriuntur. Scite hac de re Vida *l.2.v.296.*

*Concubitu indulgent omnes, ut semina gentis*
*munere defuncti vitæ post fata relinquant,*
*& servare genus valeant stirpemque tueri.*
*Post illis operum est cunctorum finis & ævi.*

Et hæc de bombycis descriptione dicta sufficiant: Plura qui scire avet, adeat Hieronymum Vidam in carmine modo laudato. Alex. ab Alexandr. *l.4. Gen. dier. c.9.* Confer. & Dalecamp. not. *ad Plin. l.11. c.23.* Lauremberg. *acerr. centur. num.2.*

Bombycum hanc descriptionem illustrare visum est ingeniosissimis non nullis προβλήμασι παιγνιώδεσι (quomodo ænigmata vocat Clearch. Solens. apud Athen. dipnosoph. l.10.) Elegantissimum facile est, quod Barlæus habet *l.2. miscel. poëmat.*

*Pene nihil fueram, jam longum tendor in orbem,*
*Mox eo, mox pennâ liberiore volo.*

Jam

*Jam lateo tectis, mox rursus liberer iisdem,*
*nunc dapibus potior: nunc dapibus careo.*
*Jam piger incedo lentè, jam fila laboro,*
*jam Veneris posco gaudia, jam fugio.*
*Vixi, & quem dederat cursum natura, peregi,*
*fataque dum subeo plurima, sponte neco:*
*Quodque prius fueram, rursus dissolvor in ovum,*
*principio fini conveniente suo.*

Apud Pet. Opmoërum *in oper. chronic. f.* 54. hoc occurrit: *Ex ovo prodiens ultro implumis, Prothea supero mutando formam: Lazarum æquo duplici morte: Attalum æmulor relinquendo mei studiosis pulchram ac divitem hæreditatem: Hoc habens peculiare præ illis, quod & spem relinquam posteritatis ter quoctannis transformandæ, bisque victuræ, bisque morituræ.*

Joh. Pincier *in lib. 3. ænigm. c. 6.* tale format:

*Herbarum metuenda lues & amara colonis,*
*mille trahens varios rugosâ pelle colores,*
*et eruca mihi, cum se novat annus, origo.*
*Quæ multo pede nixa licet, vestigia figit*
*tarda tamen, repitque, fames quo ducit edacem.*
*Ast ego non repo, sed pictis degener alis*
*alta peto, fudasque seco perniciter auras;*
*undeque sum natus generi nova semina reddo.*
*Ipse meæ Matris, Lector, tibi nomina dixi:*
*Tu rursus mihi dic, natus quo nomine dicar.*

B. Adhelmi ænigma adducit Nic. Reusnerus *in ænigmatographia p.* 207. quem consule.

## CAP. III.

*Bombycum cibus salutaris morus, quamvis & ulmi, lactucæ*

*urticaque foliis, ficulnis item frondibus ipsos ali sit proditum. De cura istorum, & quod arcendi sint à formicis & mulieribus impuris.*

MOri folia bombycibus utilissimum maximeque salutarem cibum esse, tam ex antiquorum testimoniis, quam hodiernâ deprehendimus experientia. Sic mori foliis duos Monachos bombycem ex India Byzantium attulisse, proditum est à Zonarâ *in Iustin. vitâ*, Procopio *l.4. Goth.* Et Theophane Byzantio apud Photium *in myriobiblo p.79. Edit. Rothomagensis Anno* 1653. In Italia adhuc bombyces magno numero aluntur mori foliis: Unde Vicentini agri incolis magni proventus. Uti etiam in Persia, ubi horti hodie num quoque toti sunt consiti moris, ut cedant in bombycum cibum, quibus integras domos, ei rei destinatas, replent, vide Olearium ἀξιόπιστον *l.5. hist. Pers. c.9.*

Attamen & aliarum arborum foliis eos vesci à scriptoribus est annotatum: ut ulmi, si mori copia non sit, de quo confer Vidam *l.1. bombyc. v.*209. Lactucâ, urticâ rubo etiam pasci docet Vossius *l.4. Idolol. c.*29. In Ægypto & Syria ficulnis ali frondibus, Scaliger testatur *exercit.*158. *ad Card. sect.9.* & Bellonius *l.2. observat. cap.*105.

Maxima autem cura adhibenda est, ut cibus statotempore porrigatur, quovis die ter, aut bis: Deinde, ut folia non sint rancida & putredine infecta. Præprimis etiam cavendum, ne formicæ adhæresçant foliis, quia hoc manifesta bombycum pernicies, quod Vossius, se in liberorum bombycibus semel iterumque observasse, docet *l.4. Idol. p.*1542. Famen, dum vivunt, tolerare non possunt magnâ cautione, ut contrà frigus eos tueamur, necesse est, alioqui jactura magna existet. Facile cibus locusque efficere

cere poteſt, ut palleſcant, intumeſcant & moriantur, velut peſte infecti. Mulieres impuras & ſordidas eo tempore, cum ſetam ſunt facturi, tolerare non poſſunt, ſi attingantur ab illis, proprio quaſi fluxu liqueſcunt, teſte magno iſto Viro Oleario l. c. plura hoc de argumento apud Vidam in carmine, quod jam ſæpius laudavimus, petantur.

## CAP. IV.

*Bombyx araneo ſimilis in liquando per aëra, texendo telam tum devorando ſtamen, & mox vacuo reddendo: deniq; in eo, quod utriusq; animalculi tela ſit ſalutaris vulneribus.*

MUltis in rebus bombycẽ ſimilitudinem quandam cum araneo habere, nemo facilè negabit: ideoq; ut & nos iſtam hic ad oculũ paucis demonſtremus, inſtituti ratio exiget. Primo igitur ponimus, τὸ liquare per aëra filum æque araneo ac bombyci noſtro competere. Araneum inde Heſiodus ἔργ. v. 775. appellat ἀερσιπότητα, dum canit:

Τῇ γάρ τοι νεῖνήματ' ἀερσιπότητ' ἀράχνης.
*Hac enim net fila in aere ſuſpenſus araneus.*

De bombyce Iſidorus *in Origin: Appellatur bombyx, quod evacuetur, dum fila generat, & aer ſolus in eo remaneat: id eſt, dum per aëra liquat.* Deinde etiam conveniunt in texendo telam: Quemadmodum enim aranea variis in orbem ductis lineis à centro, in quo gnomon, ad circumferentiam caſſes tendit: ità quoque & ſedes ſuas tendit bombyx ſuo modo: Nidum nempe volubilem ἀραχνιώδεσι πόροις, ut loquitur Ariſtoteles, contextum contectumque perficiendo, quem κεκάλιον vocat Græcus quiſpiam Scriptor. Unde & Plinius *l. 11. N. H. c. 22. Araneorum more telas texunt.* Pollux *in onomaſtico l. 7. cap. 17.*

σκώληκες εἰσὶν βόμβυκες, ἀφ' ὧν τὰ νήματα ὑφαίνεται, ὥσπερ ἀράχνης. Clemēs Alexādrin in *Pædag. de bombyce*: ἐξ ἑαυτοῦ γὰρ νήθεται ἡμῖν, καθάπερ ἐκ τῆς ἀράχνης ἡ ἀράχνης μίτος. Servius *l. 2. Georg. virgil. qui* (bombyces) *aranearum more tenuissima deducunt fila.*

*Martialis l. 8. epigr. 39.*

*Nec vaga tam tenui discurrit aranea filo,*
*Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.*

Imo, subtilitate texendi cum araneis contendere indicat *Dionys.* περιηγήσ: 757.

Κείνοις ἔτι λεπτοτέρην ἀράχνιον ἐρίσειεν.

*Hæ superant tenues, quas texit aranea, telas:*

Et Tertull: *in lib. de pall.* experientia etiam teste ait, *bombyces per aërem liquando, araneorum horoscopis idoneus* (id est magis idoneè,) *sedes tendere.*

In eo etiam tertio convenientiam habent, quod *uterque flamen devorat, mox autem vacuo reddit*, ut loquitur Aret. Texentem ac retexentem araneum curiosus talium deprehendere poterit: Bombycem vero filum per aërem ducere, de hinc devorare, mox ex alvo remittere & aëri tradere, αὐτόπται dantur testes.

Quarto deniq; de utriusq; animalculi tela notatu dignũ est, quod utraq; utilis ac salutaris sit vulneribus, adi Plinii *l. 29. N. H. cap. ult.* Serenus Sammonicus de Arachnes telâ ita cap. 54.

*Si vero caput infestus collisserit ictus,*
*Ex oleo necti vestis debebit arachnes:*
*Nesciet hæc illinc, nisi cum sanârit, abire.*

Idem prodidit Bellovacensis *spec. nat. l. 20. c. 119.* confer Vossium *l. 4. Idol. p. 160. 3.* Et hæc annotare volui breviter de convenientia bombycis *cum araneo, ut texturam bombycum hac ratione illustrarem.*

CAP.

## CAP. V.

*Bombycem statuit multiplicem Aristoteles, quem Plinius sequitur. Quid sit ἀναχύειν & ἀναπνίζεσθαι apud Aristotelem expenditur.*

BOmbycem vermem esse multiplicem Aristoteles *l.5. hist. animal, c.19.* docet, inquiens: ἔνια τῶν βομβυκίων. Aristotelem Plinius sequitur *l.11. N. H. c.22.* quod ita incipit: *Quartum inter hæc genus est bombycum, in Assyria proveniens, maius quam suprà dicta.* Ubi notandum, quartum ab eo nominari genus, quia in prioribus eius libri capitibus primo de apibus dixerat, tum de vespis & crabronibus *c.21.* Quartum igitur genus insectorum volucrum, genus bombycum erat reliquum. Quo vero autore scripserit, quod in Assyria proveniant, nõ constat. Aristoteles namque, licet eadem memoret, quæ Plinius expressit, nil tamen de Coi & Assyrii bombycis differentia ponit. Quod Propertius *lib.2. eleg.* canit,

*Si qua Arabio lucet bombyce puella,*

aliter se habet: Arabia enim non est Assyria, tantum ei adjacet. Non liquet etiam, unde excerpserit, maius esse genus apibus, vespis & crabronibus. Quæ apud ipsum sequuntur, Aristotelis sunt. Ita vero infit; *Nidos luto fingunt salis specie, applicatos lapidi tantâ duritie, ut spiculis vix perforari possint. In iis & ceras largius quam apes faciunt, deinde maiorem vermiculum.* Aristoteles ita *l.5. hist. animal. c.24.* Ἔνια δὲ τῶν βομβυκίων πρὸς λίθῳ ἢ τοιούτῳ τινὶ πιέσιν πήλινον ὄζῳ, καθάπερ οἱ ἄλες καταλείφονται· τοῦτο δὲ στερεόν ἐστι πάχυνθεν σκληρόν· λόγχῃ γὰρ μόλις διαιρεῖται. Ἐν ταύτῃ δὲ ἐντὸς κηρία, καὶ γίνεται σκωλήκια λευκὰ ἐν ὑμέν. μέλανι. χωρὶς δὲ τοῦ ὑμέν. ἐν τῷ πηλῷ γίνεται κηρός. ἔστι δὲ κηρὸς πολὺ τι ὠχρότερος γίνεται τοῦ τῶν μελιττῶν. In collatione horum Scriptorum, quod obiter

biter notamus, *Plinium* ὠχρότερον κηρὸν transtuliſſe per *ceras largius* deprehenditur. Nec probabile eſt, ipſum ignoraſſe, quid ſit ὠχρότερον, cum alibi rectè verterit; ut, cum ſcribit, *cuminum bibentium colorem mutare in pallorem l.*20. *c.*15. *&* 14. quod ex lib. Φυσικῶν Ariſtotelis deſumpſit. Arbitratus ſum, *Plinium* exemplar tenuiſſe, in quo fuerit exaratum λαβρότερον, pro eo, quod in noſtris eſt ὠχρότερον.

Cætera itidem de genituræ vermis Aſſyrii ex Ariſtotele mutuatus eſt, *l.*5. *hiſt. an. c.*19. De Coo bombyce *Philoſophus* ibidem hunc in modum ſcribit: ἐκ δὲ τούτου τοῦ ζώου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινες ἀναπηνίζόμεναι, καπειτα ὑφαίνουσι. Ex quibus voces ἀναλύουσιν ἀναπηνίζόμεναι *Plinius* exponit per *retorqueri* l. cit. Filum autem torquetur, cum fuſo involvitur, quod græci πηνίζεσθαι dicunt, unde & πηνίον, fuſus ſtamine involutus. At dum evolvitur, retorquetur quod ἀναλύεσθαι & ἀναπηνίζεσθαι dicitur. Bombycis textura πηνίῳ planè eſt ſimilis & tramæ involucro: Quare, cum exinde ſtamen evolvitur, ἀναπηνίζεσθαι & retorqueri rectè dixeris.

Et hæc de tribus illis bombycũ generibus ſint dicta, quæ minime cum noſtro ſericario verme, quod denuo inculco, conveniunt, quia ille priſcos naturæ myſtas latuit.

## CAP. VI.

*Bombycibus noſtris, qui hodiè in Europa viſuntur, parum convenit cum Cois Plinianis. Monſtratur id ex ipſo ſcriptore, qui diſtinguit inter bombycem Coum & Aßyrium. Aſſyrium duplicem facit, æquè diſcordantem à noſtro ſericario verme. Dum aliis male crediderunt antiqui, naturæ myſtis decepti ſunt. Bombyces antiqui ab hodiernis non differunt ſpecie.*

Cum

CUM antiquorum naturæ mystarum Aristotelis & Plinii verba, quibus bombycem Coum & Assyrium describunt, perpendo, non possum non cum Viris magni nominis fateri, nostris vermibus cum Aristotelicis & Plinianis fere nihil, & si quædam, paucissima tamen convenire. Verba Plinii legi possunt *l.*11. *N. H. c.*23. ubi expresse discrimen ponit contrà non nullorum judicium inter Coum & Assyrium bombycem, adi Octav. Ferrar. *de re vestiariâ l.*1. *c.*10. Esse autem longè aliam rationem nostrorum vermium à Cois, probamus primò à nativitate: Meminit enim naturæ indagator, illos *nasci traditum, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terræ halitu animante*: additque ibi: *è flore hoc fieri primò papiliones parvos nudosque &c.* Nostri autem bombyces non ex floribus, sed ex semine papilionum seu ovis nascũtur, qui papiliones quoque non ex flore originem trahũt, neque sibi nidum fingunt, sed ex nidulo à vermib⁹ antè exstructo prorũpunt, ipsiq; vermes in papiliones deniq; transformantur, qui nec parvi nec nudi lucem aspiciunt, verum justâ confestim magnitudine, villosi undiquaque. Deinde discrimen *à* vita ipsa petimus: Cous enim bombyx, ut verba Plinii indicant, *nutritur escâ furfurum, & plumis ortis ad alia pensa dimittitur, nec ova parere ad sobolem dicitur, sed semper papilio esse videtur.* Cum in nostr. ex ovo ceu milii exigui tenuissimo vermis vel eruca primum nascatur, deinde in papilionem transeat. Est igitur diversa natura illius bombycis cum nostro, diversum etiam artificium. Nam *Cous papilio pedum asperitate rodit foliorum lanuginem in vellera: cogit, subigit, trahit inter ramos, postea corpus involvit*: Noster tunc non papilio, sed vermis, non rodit pedibus foliorum anuginem, cogitque, sed ex ore fila educit tenuissima;

nec primum inter ramos, unde sibi postea involvat, sed statim se includere suo lanificio aggreditur. Quare noster bombyx à Coo Pliniano quam maximè differt, licet Baysius Coum eundem esse cum nostro affirmet *in lib. de re vest. c. 6.* Divortium prætereà quoque facit à nostro Assyrius bombyx, quem duplicem magnus arcanorum naturalium mysta facit *l. 11. c. 22.* quæ verba ex Aristotele l. 5. hist. animal. c. 19. excerpsit, qui tamen Coum & Assyrium bombycem non distinxit. Ita autem ille scribit: *Luto nidos fingere durissimos, salis specie, applicatos lapidi tantâ duritie, ut spiculis perforari vix possint.* De quibus nil in nostro sericario verme reperitur. Discedit quoque ab altero genere, cuius Polyhistor noster ibidem meminit, inquiens: *Alia horum origo è granaiore vermiculo, gemina protendens sui generis cornua: Hi erucæ sunt. Fit deinde, quod vocatur bombylius, ex eo necydalus, ex hoc in sex mensibus bombyces. Telas araneorum more texunt ad vestitum mulierum luxumque, quæ bombycina vocantur.* Hic quidem similitudo aliqua animadvertitur ex eo, quod etiam noster ex ore pedibus trahit ad telam filum, ut araneus: sed in hoc Assyrius nostro dissimilis, quia corniger, noster vero ἀκέρατος ante, quam necydalus factus.

Ex hisce bombycum differentiis & descriptionibus eorundem, quas ab antiquis habemus, liquido perspicitur, non αὐτόπτας illos hæc consignasse, sed, quæ ab aliis fando acceperant, ad posteros transmisisse. Unde & Plinius fatetur l. cit. *sic tradere homines.*

Differentia verò inde oritur, quod ex Assyria & Serum regionibus transmissa ad se bombycum stamina Coi texebant, de quo inferius occurret. Censemus itaque, posthabitis omnium erroribus, nullam veterum bombycum

cum aliam rationem fuisse, quam eorum, qui telas nobis in Europa texunt. Ut inde merito jam reprehendatur commentator ille in Tertullianum, qui inter bombyces nostrates & Assyrios discrimen posuit. *Ex Aristotele*, inquit, *Plinio, Tertulliano intelligi potest, aliam Assyriæ bombycum, de quibus illi agunt, historiam esse, aliam nostratium: Assyriis necydali tantum; nostris etiam ova seu aureliæ.*

Falsum namq; est, quæ Aristoteles, Plinius, Clemēs, Tertullianus, de bombyce pronunciant, ea competere Assyrio. De omni bombyce loquuntur, non de Assyrio. Deinde apertè confundit ova bombycum cum aureliis. Aureliæ χρυσαλίδες ovata sunt figura, non ipsa ova. Theophrastus bombycem ipsum, ex quo bombycinum, χρυσαλίδα vocat à colore tegminis, cum ex ovo vermis, ex verme eruca, ex erucâ χρυσαλὶς sive aurelia, ex aureliâ papilio sive necydalus, ex necydalo denique ova fiant, ex quibus in annum servatis vermes denuo excluduntur. Postremò ignorantiam quoque prodit, quod necydalos Assyriis tantum fuisse asseverat, in nostris vero esse ova. Sciscitarer ex aliquo, quomodo ex necydalo vermis posset nasci, si non pareret ova? Aristoteles non appellavit ova, ergò nec ex ovis generantur? Quæ consequentia? Mira certè: aut neglexit de ovis dicere, aut nescivit, quod statuere tutius est. Ovis non solum propagari nostros vermes, sed etiam Indicos & Assyrios experientia Physicæ rationis ignaros satis superque docet. Consule τὸν πάνυ Salmasium in Comment: ad Tertul. pall.

## CAP. VII.

*Inter sericum & bombycinum an detur discrimen κατ' οὐσίαν? Ulpianus & Paulus JCti ponunt differentiam. Bombycinum*

*quid sit, quid sericum? Strabo, Ammianus & Brodæus è cortice arboris Indicæ neri sericum prodiderunt, quibuscum alii consentiunt. Servius & Isidorus contrà annotarunt, sericum à bombyce produci, & rectè. Defenditur hic contrà Beroaldum. Confirmatur aliunde hæc sententia. Refellitur Brodæus. Non iustè à Lipsio reprehenditur Isidorus. Sericum Orientale à nostro bombycino non differt κατ' οὐσίαν. Antiqui scriptores fabulosa pleraque de nostro verme prodiderunt : Strabo illum planè neglexit. Scaligeri verba emphatica hanc in rem.*

ARduam jam molimur quæstionem, an bombycinũ & sericum κατ' οὐσίαν differant, in qua & magnâ eruditionis supellectile instructos viros aberrasse videmus. Discrimen inter bombycinum & sericum ponit Ulpianus *de aur. argent. L. vest. 25. §. 1. Vestimentorum sunt omnia lanea lineaque vel serica, vel bombycina.* Et Paulus Ictus *in l. 3. sent. recept. tit. 6. de usu fruct. Veste legata ea cadunt, quæ ex lana linoquè texta sunt, item serica & bombycina.* Si veterum historicorum ac Philosophorum sententiam quid bombycinum sit, rogabimus, indicabunt, à serico illud dissentire. Existimarunt siquidem diversas vermis esse species, uti suprà vidimus. Hinc bombycinum in Co insulâ texi Plinius autor est *l. 11. N. H. c. 22.* Quomodo vero sericum, quod ex Oriente afferebatur, nasceretur & artificum manu tractaretur, non adeò exploratum videbatur. Quidam putarunt, *illud neri è cortice arboris Indicæ*, teste Pausaniâ *in Eliacis.* In iis quoque est Strabo *l. 15. Geogr. c. 2.* cum ex Nearcho, mendacissimo rerum indicarum Scriptore, ut ipse affirmat, sequentia refert : Τοιαῦτα δὲ τὰ σηρικὰ ἐκ τινῶν φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. *Tales & sericæ vestes, bysso ex corticibus quibusdam carmi-*

*nato*

*nato netoque.* Ammianus Marcellinus sericum æquè arborum fœtum facit, quod verba hæc eius arguunt *l.23. Agunt & ipsi quietius Seres, armorum semper & prælitorũ expertes. Cæli apud eos jucunda salubrisque temperies: non abundæ sylvæ sublucidæ, à quibus arborum foetus aquarum aspersionibus crebris velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore admixtam subtilitatem tenerrimam pectũt, nentesque subtegmina conficiunt, sericum ad usus ante hac nobilium, nunc etiam minimorum sine ulla discretione.* Tertullianus *lib. de habitu Mulierum.* Age nunc, si ab initio rerum & Milesii oves tonderent, & Seres arbores nerent.

Alii depecti sericum arbitrati sunt. Plinius *l.6. N.H.c.17. Seres*, inquit, *lanicio sylvarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondium canitiem, unde geminus feminis nostris labor redordiendi fila rursusque texendi: Tàm multiplici opere, tàm longinquo orbe petitur, ut in publico Matrona transluceat.*

Atque hinc est, quod byssinum non nulli cum serico confuderint: quin & discrimen inter sericum & bõbycinum constituerint: Inrer quos etiam Bayfius *de re vest. c.5. &6.* Joh. Calvinus *in lex. Juris sub. voc. Sericum.* Brissonius *in lex. A*deat etiam B. Lector Gervasium Tilleberiensem *otior. imper. l.2.c.11.* Stephanum Forcatulum *in Cupia: Jurisper: c.22.* Scardium *in lex. Jur. p.* 809.

Sed testimonia aliorum excutiamus, qui ab hoc arborum sericarum figmento abhorruerunt. Servius, *sericum non ex arborum natura, sed ex bombycum opere fieri* aperte tradit, *l.2. Georg. Virgil. Apud Indos*, inquit, *& Seres sunt quidam in arboribus vermes, qui bombyces appellantur, qui in araneorum morem tenuissima fila deducunt, unde*

*est sericum. Nam lanam arboream non possumus dicere, quia ubique procreatur.* Quem locum Phil. Beroaldus exagitat *Syllog. 2. annot. in Servium*, ac si contra omnium historicorum mentem scripserit; parum cautè. Servium secutus est quoque Isidorus *l. 19. Origin: c. 23.* cum ait: *Sericum dictum, quia ad Seres primi miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, à quibus hæc circa arbores fila ducuntur: vermes autem ipsi græcè βόμβυκες nominantur.* Isidori mentem stabilit etiam locus Chrysostomi, à Brodæo (qui tamen stat à partibus Strabonis & Ammiani, eorum causam irrito conatu ficulneisque argumentis defendens) citatus *l. 2. Miscell. c. 22.* Καλὰ τὰ σηρικὰ ἱμάτια, ἀλλὰ σκωλήκων ἐστὶν ὕφασμα, *pulchra sunt vestimenta serica, sed vermiũ textura.* Hesychius non abludit, dicens: Σῆρες, ζῶα νήθοντα μέταξαν, ἢ ὄνομα ἔθνους, ὅθεν ἔρχεται καὶ τὸ ὁλοσηρικόν. Sic Suidas, postquam commemoravit, Seras, sericum & serem vermiculum bombycinum, statim subjungit, σὴς σητὸς, ὁ σκώληξ. Huc etiam referri possunt loca illa veterum Autorum, quibus non ex corticibus aut foliis sericum neri, sed jam netum à bombycibus manu hominum depecti ajunt. Virgilius ita *l. 2. Geog. v. 12.* canit:

*Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.*

Ex quo etiam loco Raph. Volaterranus *l. 22. p. 298.* Plinium notavit, quod seres pro populo acceperit, quasi ipsi populi depectant frondium canitiẽ, quæ in illis sponte nascatur, non autem oriatur ex vermibus, quod esse absurdum statuit: Et rectè quidem; Vermiculi enim bombyces texunt, Seres autem populi depectunt. Videatur De La Cerda *in comment. ad l. cit. Maron.* Senecæ Tragœdi verba sunt in *Hercule Oeteo*:

*Quæ Phœbeis subditus Euris*
*legit Eois Ser arboribus.*

Idem

Idem in Hippolyto.

*Removete famulæ purpura atque auro illitas*
*vestes: procul sit muricis Tyrii rubor,*
*quæ fila ramis ultimi Seres legunt.*

Claudianus *de Consul. Olybrii & Probini*:

*stamine quod molli tondent de stipite Seres.*

Quæ testimonia Brodæus minus cordate, judicio Doctorum, ad Strabonis & Ammiani sensum trahit. Legatur inter alios Fullerus *l. 2. Misc sacr. c. 11.* qui corticosum sericum explodendum esse penitus & ejiciendum affirmat: *Insuper foliaceum quid ἀπὸ μετωνυμίας* in se continere suspicatur: quia scilicet vermes nostri mori foliis aluntur, ideò sericum mod› quodam arborum lanicium dici, deque foliis pecti, obscuris admodum verbis.

Miratur autem Salmasius in not. ad Vopiscum, magnum istum Lipsium in not. ad Tacit. *l 2. annal.* reprehendisse Isidorum, quod confuderit bombycinum cum serico, cum tamen exploratum satis superq; sit, bombycinum & sericum idem esse. Hinc ait; *apud recentiores vel medii ævi scriptores nusquã aut rarò mentionẽ bombycini, vel bombycinarum vestium reperies, sed sericarum tantum: quippe sericum & bombycinum non distinxerunt. Nimis subtile illud discrimen interpret.* apud *Iuvenalem* vocat:

*Acer & indomitæ libertatisque Magister*
*cretice pelluces.*

*capiatur de veste sericâ: cur non etiam de bombycinâ? cum alio loco dicat:*

*Quorum delicias etiam bombycinus urit*
*panniculus.*

Hæc ille. Vt vero ne minimum quidem amplius dubitemus, videatur Julius Scaliger *ad Cardanum exercit. 158. f. 91.* ubi scribit, *vidisse se in Calabria neglectos in arboribus vermium-*

*miculos sine cura cultuque sericum facere, à quibus detrahunt incolæ.* Mox addit ex comment. Navigat. in Taprobana, *sericum sine cultu ex arboribus detrahi:* ostenditque ex narratione Veneti, *sericum nostrum planè idem esse ac illud, quo antiqui sunt usi.* Dalecampius ad *Plin. l.* 11. *c.* 23. annotat, *se vidisse folia aliquot ex Persida & Arabia advecta, mori foliis similia, sed paulo angustiora & longiora, vellere sericeo circumvoluta, quod bombyx intus latens neverat.* Ut omnino sericum Orientale ac bombycinum nostrum non differat καθ' ὑσίαν, sed solum accidente, puta loco: Bombycinum enim καθ' ἕξοχὴν ab Indis sericum dictum est: Bombycinum vero appellatum, quod in insulâ Co conficiebatur.

Verum, cum jam sufficienter satis discrimen inter bombycinum & sericum non esse monstraverimus, restat, ut testimoniis Antiquorum adducti, quædam adhuc in medium deposcamus de veterum rudi cognitione, ne dicam ignorantia vermis bombycis.

Virgilium sanè, imo Romanos omnes, maximamque Europæ Asiæque partem hunc vermem non vidisse credibile est, alioqui Strabo, historicus accuratissimus, qui formicas Indiæ & oricas Armeniæ non præteriit, etiam bombycem non neglexisset, nullâ ejus facta mentione. Plinius quoq; perspicacissimus naturæ mysta de hoc verme accuratius disseruisset, naturamque ejus planè mirabilem consignasset. Imò Pausanias non tantas de ipso fabulas posteritati reliquisset, cujus verba excerpenda sunt hic *ex lib.* 6. ἠλιακῶν β *p.* 205. Interprete Amasæo: *Sed enim, quæ fila ad textrinam usurpant Seres, ea nulla è stirpe sunt. Nascitur in eorum terra vermis, quem Serem Græci, ipsi longè alio nomine appellant. Magnitudine est id insectum duplâ maximi scarabæi, cætera aranei simillimum,* οἱ ὑπὸ τοῖς δένδρεσιν ὑφαί-

ὑφαίνεσι. Καὶ δὴ καὶ πόδας ἀειθμὸν ὀκτὼ κατὰ ταὐτὰ ἔχει τοῖς ἀράχνοις.
(Hæc Syllburgus vertit, quia ab Amasæo in versiõe neglecta) *Qui sub arboribus texunt. Sed & pedes habet octo ut aranea.* Pergit Amasæus: *Hoc Seres accuratè nutriunt, vestes illi cum æstivas tum hybernas aptè fabricantes. Pedibus sub arboribus textile opus facit,* (addit Syllburgus ex fonte: *filum est tenuissimum pedibus involutum.*) *Annos ferè quatuor panico alitur, quinto demum, neque enim longior vita contingit, viridem apponunt arundinem, quò pabulo bestiola illa quam maximè delectatur: Eo saturum saginâ rumpitur. Educunt inde è visceribus plura staminum volumina.*

Plinius, Solinus & Ammianus cum sericum de arboribus detrahi scribunt, nullam vermium faciunt mentionem. Quare dubitandum non est, hoc nostrum vermium genus vetustioribus Latinis & Græcis ignotum fuisse. Lanuginem sive metaxam sine dubio viderunt, quippe, quæ ex Indiâ magna copiâ est elata: de verme autem quædam inaudiverunt fabulis interspersa, quæ posteà literis mandarunt.

Cum hæc itaque sese habeant, quis hac in re non potius fidem haberet illis, qui αὐτόπται fuere, quam istis, qui tantum hanc rem auditu perceperunt. *Semper recensentes aliquid de suo addunt*, teste Eloquentiæ Medulla Cicerone.

Placet coronidis loco annectere Phœnicis Italicæ Scaligeri verba ad Cardanum *exercit. 58. s. 9. Factum est diligentia quorundam, an pervicacia? ut res vulgata, recepta, confessa, usitata fieret controversa. Ità recentiorum sectæ veterum opinionum immortuas reliquias fovere sunt aggressi, ut antiquatos errores novis obruerent insaniis. Non nulli enim ajunt, nos sericum quid sit, ignorare. Ex Pausaniæ mendaciis arcessunt testimonia: Ex arboribus depectunt apud Virgilium:*

*non autem explicant ex opere bombycum. Tum à Plinio, nescio quæ febriculosa. Verum, vana omnia: quando in Calabria neglectos in arboribus vermiculos sine curâ cultuque sericum facere vidimus.*

## CAP. VIII.

*Vermis nostri sericarii locus ἐγχώριος est India, s. Serum regio. Ex illa à Monachis allatus est in Europam Iustiniani Imperat. ævo. Serum regio hodiè Cataja & China. Vbi sita? Assyria bombyx quæ? Quid vestis Medica? Refutatur Ferrarius. In Ægyptum sericum pervenit. Monstratur id ex sacris. Refellitur Procopius. Vestis medica Alexandro Indiam peragrante nomen sericæ accepit: quod ad Græcos postea pervenit. Quid Cos, Coum, & unde dicatur? Error Vulgati, & vera expositio R. Kimchii. Quid Arabicum קוי: Syrum קוין: Talmudicũ קיוא significet, expenditur. Phœnices Coam tenuerunt. Situs ejus in Caria depingitur. Notatur Hermolaus Barbarus. Pamphile Latoi filia, non Platis, contrà Gazam & Bayfium. Hæc prima in Cofila bombycum retexuisse fertur. Vestes, s. materia serici ex India contexta eò allata, quam mulieres Coæ resolverunt. Romanis quomodo sericum innotuerit, posteaque toti Asiæ & Europæ tàm maritimo, quàm terrestri itinere.*

BOmbycem nostrum vermen esse ἐγχώριον Indiæ, quæ maximum Serum regnum suo sub complexu tenet, constare arbitror, quamvis scriptorum vix ullus id ipsum ediſſerat. Vermis naturâ Orienti fermè toti aliquo modo cognitâ fuisse fidẽ faciũt examinata paulo superius Aristotelis & Plinii verba: nec tamẽ ipse terras, quas stamine telisque suis, easdem & fœturâ suâ replevit. Mansit in Serum limitibus sinubusque, dum tandem ab Indiæ Monachis & Græci

Græci eundem accepere, & recens telas tractandi artificium alias mox gentes docuere. Monachos vero ex Indiâ Byzantium profectos, originem vermis nostri Græcis declarasse, pollicitosque, se fœtum illorum vermium, ova nempe perexigua allaturos & ostensuros Romanis, quomodo illa fovendo animata in vermes, qui sericum, Magistrâ naturâ usi, texant, mutentur. Eosdem Justinianum *Imperat.* muneribus & præsertim magnis pollicitationibus ad illud præstandum confirmasse, scriptores tradunt: *Itaque* serũ ova eos Byzantium attulisse, & in fimo collocata in vermes transformasse, indeque sericum confeciſſe: ut ita Græci ac Romani pariter rationem conficiendi pannũ bombycinum sive sericum sint edocti. Adi Zonaram *tom. 3. hist. in Iustin. vita.* Procop. *l. 2. B. Goth.* Theophanem apud *Photium C. D. 64. p. 79.* Alex. ab Alex *l. 4. G. D. c. 9.* ibique Tiraquell. Forcatulum *in jurisperito Cupid. c. 22.* Horatius Turselinus, cum hanc historiam refert, subjungit *l. 6. epit. histor. p. 232. Præclarum inventum, nisi materia luxus Monachos haberet autores.* Serum ergò regio patria bombycum, quam hodie Catajam & Sinam dici, & Metropolin ejus Seram adhuc dum eo nomine florere, non nulli literarum monumentis prodiderunt. Terminatur autem Serica ab Occasu Scythiâ, quæ extra *Imaum* est: A Septentrione atque ortu terrâ *Ptolomæo* incognita: A meridie *India* extrà Gangem & *Sinis*. Urbs *Sera* hodiè *Sindifu* Mercatori appellatur, inque extremis *Sericæ* partibus ad ortum collocatur. Videri potest Cluverius *l. 5. Introd. Geogr. c. 2.* Scaliger *exercit. 158. s. 9.* Et de seribus *Indiæ* populis *Solinus*, *Stephanus* & Martinius in lex. Phil. Alciatus it. *lib. parerg. 6. c. 25.* tum alii. Abraham Peritsol c. 9. Orchoth olam regnum *Sericæ* nominat גדול מגפלא, *ma-*

*gnum & ſtupendum*, verba ejus adduxit Conſtant. L'Empereur ad Benj. Tudelenſis *Itiner. p.* 208, 209.

Ab hac igitur gente Indicâ ſericum originem traxit, & per univerſum terrarum orbem bombycina fila ac ſtamina inde miſſa ſunt. Quod, ut ad oculum pateat, ordine percurremus gentes varias, illiſque ſericum contigiſſe dabimus.

Nota eſt ſatis Aſſyria bombyx, ea certè, ſi qua fuit, non alia eſt, quam ſeta illa, ex quâ ſibi veſtes Aſſyrii, Medi & Perſæ conficiebant, atque eadem cum ſerica: Nam veſtem Medicam Græci veteres, qui Serum & Indorum nullam aut parvam habuere notitiam, dicebant eam, quæ ſerica poſtea eſt appellata. Procop. *l.* 1. περσ. Αὕτη δ' ἐστὶν μέταξα, ἐξ ἧς εἰώθασι, τὴν ἐσθῆτα ἐργάζεσθαι, ἣν πάλαι μὲν Ἕλληνες Μηδικὴν, ταυτὴν δὲ Σηρικὴν ὀνομάζουσι. Suidas *in lexic.* Σηρικὴ ἡ μέταξά ἐστιν &c. eadem verba Procopii adducit. Lege Bayſium *de re Veſtiar. c.* 5. Voſſium, ſi placet, *l.* 4. *Idol. p.* 1610. Non igitur facimus cum Viro alias literatiſſimo Octavio Ferrario *l.* 1. *de re veſtiar. c.* 10. qui non abſurdum eſſe putat, in Aſſyriâ bombyces proveniſſe: nititur ſcilicet autoritate Plinianâ, quæ quantum valeat hac in re, ſatis ſuperque manifeſtum fecimus.

In Ægypto ſericum fuiſſe ad luxum confectum, allatum eò ex Indiâ ſeu Serum regione, conſtare puto ex loco ſacro. Eſa. 19. v. 9. ובשו עבדי פשתים שריקות, *& pudore afficientur operantes ſerica multicoloria & præſtantiſſima*, Tremellius τὸ שריקות *veſtes generoſas*: Caſtalio *eximias*: Munſterus, *reticulatas*: Prior editio Roberti Stephani, *ſericum* interpretatur: Qua in re Kimchium R. Ducem ſequitur, qui ita exponit: השוב שבמשי וכן יקרא בלשון ערבי אל-שרק: *Præſtantiſſimum ſericum, atque ita vocari ſolet in linguâ Arabicâ*, Al ſerax: conſule Fullerum hoc de loco pluribus *in Miſcell.*

*Miscell. sacr. l. 2. c. 11.* Vaticinatur autem ibi Propheta de Ægypti משא vel onere.

Procopius *l. 1. B. Pers.* contendit, Ægyptiis inventionem sericorum æquè ac Indis esse adscribendam; quod an stare possit, judicent doctiores. Mihi verisimile non fit. In texendo rationem novam excogitasse, concedere possum, invenisse sericum, est, quod pernego. Sed ad Græciam me conferam antiquam, & quando serici usus eò penetraverit, paucis expediam. Dixi ante ex Procopio, veteres Græcos, utpote, qui ante Alexandri M. expeditionē Indos ferè ignoraunt, vestem sericam Medicam dixisse: statuo itaque, illos pervagato Oriente, cum ad Seres propius accesserunt, hanc sericam deinceps denominasse, & sic ab illis, qui in exercitu Alexandri militabant, nomen hoc ad Græcos deveniisse.

Verum autem nostram vellicat Coa bombyx; de quâ ut fusius paululum differamus, materiæ dignitas scriptorumque dissensus efflagitat. Dicitur autem Coum à Cos vel Co. Hæc insula fuit in Caria, & etymon habet à קו *Cau*, quod Hebræis est tenue filum l. funiculus. LXX σπαρτίον exponunt, & Symmachus σχοινίον *Iob* 38. *v.* 5. ex קו Cau est מקוה *netum, vel opus subtilissimum ex Ægypto advectum.* 1. *Reg.* 10. *v.* 28. *& 2. Chronic.* 1. *v.* 16. ubi vulgatus *de Coa*, quasi sit loci nomen: nec multo aliter Græci interpretes. Sed Kimchius rectè exponit: מלאכת הפשתן ועבידתו הוא במצרים יותר משאר הארצות. *Opus ex lino, id est, ex bysso textile, quod excellit in Ægypto plus, quam ullibi terrarum.* Cui firmando citat loca *Prov.* 7. *v.* 16. *Es.* 19. *v.* 9. *Ezech.* 27. *v.* 7. Eodem refer Arabum קוי *Kovva*, pro funiculo: & הנלקוי *Chablo Kovvin*, pro filis araneorum in Chaldæâ paraphrasi *Es.* 59. 5, 6. Et Talmudicum קיוא *Kevvae*, vel, ut Aruc legit, קוואי *Kavvae*, pro textoribus, *in tractatu de Sabbatho.* Denique

huc spectat, quod קו *Co* vel קוה *Coa* vocata est à Phœnicibus insula, texturæ delicatioris artificio nobilissima: Phœnices enim hanc Coam aliquando tenuisse vel inde appareret, quod urbs insulæ cognominis olim dicta est Astypalæa. Strabo *l.* 14. *Geogr.* ἡ δὲ τῶν Κώων πόλις ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν Ἀσυπάλαια. *Coorum autem urbs olim vocabatur Astypalea.* Hinc Stephanus περὶ πόλεων: Ἀσυπάλαια νῆσος μία τῶν Κυκλάδων &c. δευτέρα πόλις ἐν Κῷ.

Meridiem versus hæc nostra insula habuit promõtorium Lactera: ad occasum habuit Drecanum & vicũ, stomalimnem nomine: nulla sui parte continenti propior fuit, quam promontorio Scandaria. Adi Strabonem loc. cit.

In Caria itaque fuit sita, ut contra Ceos in mari Ægæo inter Cyclades: vide Salmasium *ad Solinum p.* 143. Samuelem Bochartum *in suo Phaleg. l.* 1. *c.* 7. *p.* 403.

Hermolaus Barbarus ad Plin: *l.* 11. *N. H. c.* 22. pro verbis *in Co insulâ*, scribendum esse autumat in Ceâ insulâ: & quidem in Cea hanc rem esse inventam scribit Plinius *l.* 4. *c.* 12. *N. H.* ex Varrone, qui ita: *Salamis, Sunium, Cos, Ceos, quæ subtilioris vestis amicula arte lanificæ scientiæ prima in ornatum feminarum dedit*; quæ verba & Plinii simia Solinus affert *c.* 13. Sed, qui inde vestes Ceas non Coas rectè dici colligunt, toto cælo errant. Constat quidem ex MStis, in hac re antiquos non convenisse, intereà tamen potius sequimur Aristotelem, *qui lib.* 5. *hist. animal. ità annotavit*: ἐκ δὲ τούτου τοῦ ζώου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινες ἀναπηνιζόμεναι, καθάπερ τὰ ὑφαίνουσι. Πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν τῷ κῷ Παμφίλη, Λατόῦς θυγάτηρ. Cui favent Brodæus *Miscell. l.* 2. *c.* 22. Ortelius *in Thes. Geograph.* Vossius *in Etym. LL.* & Báyfius *de re vest c.* 6. Imò aut Hermolaum labi necesse est, aut codices scriptorum, qui circumferuntur,

feruntur, ex MStis antiquis recensitos, corruptos esse statuendum, in quibus passim legitur Coa, Cois. Evolve Propert. *l.*2. *el.*1. *&* *l* 1. *eleg.* 2. Tibull. *l.*2. *eleg.*4. *&* 6. Horat. *l.*4. *Carm.*13. *v.*13. *&* *l.*1. *Serm.*2. *v.*102. Ubi Acron. *Perlucida utitur veste, ut ita nuda conspici possit. Hæc enim vestis in Co insulâ conficitur, per cuius nimiam subtilitatem, quæ sunt interiora, translucent.* Verum ad rem redeam. In hac insula Pamphilè Latoi filia (sic apud Plinium l. c. & Aristotelem scribendum, non Platis, ut vertit Gaza, quem secutus est Bayfius l. cit.) prima invenit rationem telam à Seribus missam redordiendi, ist est, in fila dissolvendi ac denuo texendi: Hæc mens loci Pliniani. Alii Codices ibidem habent *retorqueri, pro redordiri*: quod, si placet, retorqueri est ἀναλύεσθαι & ἀναπτυλίσσεσθαι, ut sensus sit idem cum priore. Consule Bayfium *de re vest. c.*6. Tiraquell. *in* 3. *L. Con. part.* 2. Apparet autem, cum loca ad rectæ rationis trutinam perpendimus, stamina serica ex India s. Serum regione afferri solita, quæ filis sericis sic implicita contextaque erant, ut redordienda & retexenda essent, si quis ex illis pannus foret cõficiendus. Quo idem Plinius *l.*6. *N. H. c.*17. trahi potest, cum dicit: *Vnde geminus feminis nostris labor redordiendi fila rursusq; texendi.* Quin etiam *l.*35. *c.*14: ait: *Ex omnibus generibus palma serico ferro est. Seres hoc cum vestibus suis mittunt & pellibus.* Arbitror equidem, neminem docere posse, alias vestes esse missas, quam fericas, ex licio bombycino contextas. Hinc & Dion Cassius l. 43. p. 256. ait. τοῦτο τὸ ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρου ἐστὶν ἔργον. *Sericum hoc textum luxuriæ barbaricæ opus.* Ἔργον, inquit, ut denoret, texturam quandam esse missam. Demonstrat idem Lucani locus *l.*10. *v.*141.

*Quod*

*Quod Nilotis acus, compressum pectine Serum*
*Solvit, & expansâ laxavit stamina telâ.*

Consentit Tertullianus *in lib. de habitu muliebr.* cum scribit: *Proinde & vestium de coloribus honorem servi etiam eorum ferunt. Sed & parietes Tyriis & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operose resoluta transfiguratis, pro picturis abutuntur.* Nullus ergo scrupulus reliquus, qui male aliquem habere possit, cum tot manifesta exstent testimonia, serica texta, quæ ex Seribus in alia loca afferebantur, quod pectine pressius essent densata, filatim, ut ita dicam, resolvi solita rursusque texta, præcipuè m. à mulieribus Cois tenuiore ac rariore texturâ, quæ feminas postea tegendo nudabant. Atque hoc Salmasius, Vossiusq; pluribus deducunt. Miror itaque viros hosce, eruditorum Principes, bombycē aliquem Coum agnoscere, qui Coos fœtu ac stamine suo ditavit: sic namque Salmasius *in annot. ad Vopiscum. Novimus*, ait, *apud vetustissimos scriptores & Poëtas σηρικῶν nusquam fieri mentionem, sed βομβυκίνων, quod nondum ex Seribus nōtū esset νῆμα σηρικὸν, vermibus, ut apud Græcos, ita apud Seres eandem materiam subministrātibus.* Imo bombycinum Græcos habuisse à verme ἐγχωρίῳ ante, quam sericum rectè noscerent, docet quoque Vossius *in Lex. Etym. L. L.* Quæ, quomodo conciliari possint cum his, quæ modo tradidimus de tela Coâ ex Serum regione petitâ: Item cum eo, quod de bombycino iidem doctissimi viri scribunt, à serico κατ' ἐσίαν non differre, hactenus non video. Id penè suspicor, nomen serici antiquis haud ita usitatum, in hanc de bombyce Coo Pliniano & ementito sententiam ipsos impulisse.

Sed pedem profero ad Romanos, & quando illis sericum cognitum fuerit, nec non in precio esse cæperit, paucis hic adnecto. Magnus

Magnus ille *Lipsius* fatetur in comment. ad Tacit. *l.2.annal.serica,quando Romæ in usum venerint,se planissimè non cognitum habere*: suspicatur ibidem,julii Cæsaris ævo introducta esse, ut qui in ludis theatrum totum velis obtexit sericis,testeDione l.43.*p.*256. Verba eius ita se habẽt: ἵνα μηδένα τῶν θεατῶν ὁ ἥλιος λυπήσῃ, παραπετάσματα ὑπὲρ αὐτῶν σηρικὰ, ὥσγε τινὲς φασὶν, ὑπερεπέτασε: τοῦτο δὲ τὸ ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρου ἐστὶν ἔργον, καὶ παρ' ἐκείνων πρὸς ἡμᾶς ἐς τρυφὴν τῶν γυναικῶν περιῆλθεν ἐσπεφοίτηκεν. *Ne quis spectantium à sole molestaretur,sericas cortinas,ut quidam autores sunt,super eos extendit*: *Est autem sericum textum barbaricæ luxuriæ, ab iisque ad luxum mulierum nobilium invectæ.* Nec tamen firmiter inde concludetur,ante Cæsaris tempora incompertum sericum Romanis fuisse. *Post* Julii fata frequentior est serici mentio: Qui enim Octaviani ævo floruerunt scriptores,ut Virgilius,Horatius, Propertius, Ovidius & Strabo, de eo multa prodiderunt: Quod etiam non neglectum est à Viris sequentium Imperatorum ætatibus vitam agentibus: Unde Martialis in quodam Epigr.l.11.meminit serici in Tusco vico celebrati, cũ canit:

*Nec nisi prima velit de Tusco serica vico.*

Adi Aldrovandum *l.2. de Insectis c.7.* Sed tamen usque ad Galeni tempora, juxta Hieronym: Mercurialem *l.1.var.lect.c.24.* rarum pretiosumque apud Italos & Romanos sericum extitisse, magnique luxus ansam hominibus præbuisse,existimandum est. Galenus quippe,Medicorum ocellus,scriptum reliquit *l.13.meth.medendi*: *In urbibus magnis Romanorum & penes opulentas mulieres extitisse,vocatumque νῆμασηρικὸν*: quod posteriores circà justiniani ævum *μέταξαν* vocarunt.

Alex. ab Alex? *l.4.Gen.dier.c.9.* hic miratur,*Procopium scripsisse justiniani temporibus commentum serici solerti ingenio quæsitum, primum in Italiam allatum esse, cum antea in compertum fuisset ac incognitum.*

Tenendum vero est, justiniani temporibus commentum serici sic primum Italis innotuisse, ut modum educandi vermes, eorumque telas tractandi didicerint primum. Nec id velle Procopium, sericis vestibus antiquos caruisse, liquidò constat: Nam licet origo ante justiniani ætatem Latio incognita fuerit, quod Procopio, Zonaræ, Theophani aliisque credimus, attamen potuit sericum quoad fila & telam in Europam transportari.

Ex his itaque & aliis, quæ prolixitatis vitandæ ergo prætermittimus, satis superque, quomodo Priscis sericum innotuerit, patet: Certòque jam constare nobis debet, ab Indis ad alias gentes Orientales: abistis vero ad Occidentales antiquitus jam venisse duplici itinere, terrestri & maritimo: Illud per Bactros, Assyrios, Medos in Mesopotamiam, Syriam, Palæstinam, indeque ad occiduas maris mediterranei oras regionesque ducit: Hoc Ægyptiorum olim Arabumque operâ præcipuè absolvi solebat per sinum persicum & Arabicum, adi Füllerum *l.* 2. *Miscell. sacr. c.* 11.

Pertinet huc, quod Procopius narrat *l.* 1. περσικῶν, *Justiniani ævo Persas nema sericum ab Indis & Seribus sibi comparasse, Romanos vero à Persis illud emere fuisse coactos: At, cum Justinianus Persis bellum intulisset, summâ operâ fuisse nisum, ne Romani tàm caram speciem ab hoste sibi acquirerent ad luxum: Voluisse igitur fœdus inire cum Æthiopibus Homeritis, qui erant Christianis ὁμόδοξοι, ut ab Indis ipsi mercarentur metaxam, Romanisque venderent, quo ità ad eos magnum rediret compendium, Romani vero liberarentur necessitate commercium habendi cum hoste.*

Quod si hic illas Regiones, quibus nunc serici panni in usu sunt, memorare vellemus, verendum, ne potissimam orbis cultioris partem emetiri cogeremur. Strictim itaque tantum, quæ notatu digna videbuntur, tangam. Orientales sericum magnâ copia possidere, inq;

alias

alias mittere provincias, tàm liquidæ veritatis est, ut à nemine in dubium vocari possit. De Catajæ & Chinæ incolis seu antiquis Seribus ita Scalig: *exercit:* 158. *s.9. Hodiè è Cataia & à China sericum fertur non aliud, quam quo utimur. Imo Persæ Seres gentem, penes quam opera bombycina perficiuntur, jam Tartaros communi nomine appellant, & peculiari voce, Calmuchos, propterea, quod soli Scytharum capillos alunt. In Taprobana quoque jam sericum sine cultu de arboribus legere est.* Aliis Indis serica vestis penè quotidiana. Sic Aloysius Cadamust. *in Navigat: sua cap.* 58. de Calachutensibus scribit hunc in modum Interprete Archangelo : *Veste utuntur Cotoninâ, quoniam eo panno abundant plurimum, utuntur & pannis sericeis, & imprimis illustriores : at alii aliis utuntur vestibus, prout patitur illorum census & opulentia.* De Nigritis Christoph. Columbus *in navigat. sua c.*110. *refert, eodem Archangelo vertente : Bombyce scatet regio : quippe quæ suapte natura gignitur, colente nemine. Subligacula exinde conficiunt, quibus involvunt inguina.*

Nicephorus *l.*18. *hist. Eccles. c.*30 *de suo ævo refert, in Persiâ vermes esse quàm plurimos, sericum nentes.* Olearius Polyhistor testatur *in Itiner. Persic. l.*5. *c.*18. Hodiè adhuc è Persiâ & regionibus ejus, tum provinciis, è Kilan ad mare Caspium, è Chorasan, Masanderan, Karabach & aliis locis serici copiam incredibilem ferè exportari in Turciam, Italiam, Hollandiam, Angliam, Hispaniamque. Ulysses Aldrovandus *l.*2. *de Insectis meminit, à viris fide dignis se percepisse, in Syria Damasci vermem nostrum Indicum magna copiâ educari ad textrinam:* Bellonius *bombyces in Antiochia magni esse quæstus,* scribit *l.*2. *observat. c.*105. Idem ibidem c.92. annotat de Emisâ urbe agens, quæ Hamza Arabibus, Turcis Haman dicitur, *in ea magnam esse sericei staminis abundantiam ob magnam incolarum curã.* De Neapolitanis Alexand. ab Alex, *l.*4. *Gen. Dier. c.*9.

ut & Aldrovand° l. cit. p. 114. affirmãt, spectaculo quasi quotidiano bombycẽ telamq; ejus penes ipsos conspici posse. In Italia ferè à Justiniani tẽporibus artificiũ serici cõficiẽdi floruit: Cum enim tunc temporis per Græciam & vicinam Asiam abundare inciperet sericum; inde in Italiam mox ingenti numero est allatum: Otho Frisingensis *in hist. Friderici* memorat, & Thuanus *l.* cxxix. *hist. suæ. Robertum Siciliæ Regem, ex Regia Andegavensium Ducum familia, expugnatis in Græcia Athenis, Corintho Thebisque, opifices, qui sericos pannos conficiebant, deduxisse captivos, & in urbe Siciliæ Panhormo collocasse: indeque factum esse, ut quam textrinam prius soli Græci inter Christianos habuerint, cum Romanis sit communicata ingeniis.*

Idem Thuanus loc. cit. p. 996. suâ memoriâ, atque adeò seculo præterito per Longobardiam, cum antea per Calabriam & Hetruriam illud opificium invaluisset, in usu esse cœpisse scribit, ac ipsius quidem ætate in agro Vicentino: Paulatim v. etiam in provinciâ Allobrogibus, qua Meridiem spectant, Cavaribus, quorum metropolis Avenio, & viciná Septimania atque adeo in Lugdunensi provincia frequentari inchoasse. In plerisque Italiæ ut & Galliæ partibus, imo pro totam Aquitaniam sericum provenire posse ad textrinam, argumento ipsi est, quod in Turonibus citerioribus feliciter Francisci I. temporibus id institui sit cœptum, & ad suam usque ætatem perseverarit. Confer Ulyss. Aldrovandum l. d.

HENRICUS IV. Galliarum Rex cum vidit, grandem pecuniæ summam in luxum serici non solum effundi, verum etiam extrà Regnum magno ejus dispendio exportari, optimum factu judicavit, ut & sericum in suo nasceretur regno. Serjò itaque de officinis serici cogitare cæpit, quæ tandem Lutetiæ Santoto curatore institutæ etiam sunt, Anno reparatæ salutis Christ. M. D. c. III. & ubique leucomori seri & propagari jussæ alendis vermiculis, quorum semina sive ova quotannis ex Hispania sunt allata. Libellus

bellus etiam vernaculo sermone tunc editus ab Olivario Serrano, Johannis fratre, ut pervulgi manus volitans, artem serici etiam rusticos doceret, de quo lege Thuanum pluribus loc. cit.

In Bataviâ hodie & Venetorum imperio, quin & in Turcia serici conficiendi rationem in dies augeri, oculares sunt testes. In Dania, Svecia, maximaque Germaniæ parte bombyces quidem aluntur, sed non tam lucri, quam voluptatis causâ.

Atque ex his jam sufficienter patere reor, qua ratione terrâ marique sericum à gente ad gentem sit propagatum.

## CAP. IX.

*Metaxa quid & משי apud Ezechielē. Æquivalentia sunt rude sericum & metaxa. Vnde sit dicta? Enumerantur serici species: Holosericum quid?* Βρεῖον, *Suidæ* βιβλίον *an sit holosericum cum Zonara? Negat Salmasius. Triplex holoserici genus, Rasum, Damascum & villutum. Doctorandis ex holoserico impositus olim pileus, ut etiamnum hodie fit. Subsericum quid? Vestes subsericæ erant aliæ trama serica, subtegmine vero lineo: aliæ subtegmine serico, trama vero linea. Sericum Panaginum apud Talmudistas optimum censetur.*

ANtequam ad serici pretium & qualitates accedamus, quædam de Metaxâ prælibare est animus. A recentioribus Græcis sericum metaxam non nunquam appellari, notissimum est diligentibus antiquitatis indagatoribus: Quam vocem ab antiquis Romanis desumpsisse videntur. Lucilius, Poëta Virgilio antiquior, *lini metaxam* dixit: versus ejus citantur *ab Isidoro l.* 19. *Originat. c.* 4. ubi metaxam *funiculum* significare *Turnebus* autumat *adversar. l.* 20. *c.* 4. Quocum facit Philander in annotat. ad Vitruvii *architect. l.* 7. *c.* 3. Quamvis metaxam Bernardinus Baldus *apud Vitruvium* accipiat pro *agglomerato filo*: ut cū Budæo potius sit sentiendum, qui locum hunc explicans,

ait, metaxam esse manipulos & fasciculos cannarum, quos Vitruvius d l. tomici alligari jubet.

Sericum ergò metaxa nuncupatum videtur, ideò, quod olim sicut & hodiè multiplici metaxa seu funiculo in glomos ingentes conglobatum venum ire solebat. Hebræis elegans nomen est שְׁיָ, cujus ab Hieronymo *in comment. l. 20. c. 4. ad Ezech. cap. 16. v. 10. & 13* varia recensetur interpretatio. LXX reddiderunt τρίχαπτον. Quod quale sit, Suidas exponit: primum universè ἱμάτιον πολυτίμητον, *magni precii vestem* vertens: mox specialiter, βομβύκινον ὕφασμα *bombycinum textum*. Hesychius quædam addit, magis perspicuè vocabuli vim explicantia: nempè τὸ βομβύκινον ὕφασμα ὑπὲρ τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς κατόμενον, *textum quoddam bombycinum, crinibus capitis supernè aptatum*. Quibus verbis figuratè innuit, vestem bombycinam, id circò τρίχαπτον dictam; quod ex bombyce olim τὰ τρίχαπτα capillaria vulgò confici solerent: vel potius, quod bombycina opera translucida essent instar reticuli muliebris, rarâque, tenui, ac subtili textura constarent, *De quibus prolixè differentem adi Fullerum l. c.* Metaxa itaque est, non quodcunque sericum, sed rude tantum & crudum, sicuti ex Actuario & Nicolao Myrepso m. discimus. *In* Cod. Justin. *l. 10. tit. 8, 10. Serico-blattæ & metaxæ species.* Ubi Cujac. *Metaxa est rude sericum &* αὐτοφυὲς, *nondum neque tinctum, neque in fila deductum.* Ut æquivalentia sint, sericum rude, & metaxa, *consule Salmasium in not. ad Flavium Vopiscum p. 388.* Moschopulus: Σῆρ ὁ σκώληξ ὁ τὴν μέταξαν ἐργαζόμενος, ἀφ' ἧς σηρικὰ ἱμάτια τὰ μεταξωτά. *Scaliger exercit. ad Cardan. 158. sect. 9. luxta mare, inquit, Caspium Strava civitas, à qua sericæ texturæ cognomines celebrantur. Etiamnum Madaixa Hispani, collecta in unum fila serici sc. nominant: Idque voce antiqua; Metaxa enim dicebatur.*

Isidorus Episcopus *l. 19. Origin c. 29. Metaxam à circuitu filorum derivare intendit à* μιτάω *circumduco*, non in-

inconvenienter, quia, ut antea audivimus, sericum rude in glomos fuit redactum.

Allusiva originatio depromi posset è Syriaca lingua, in qua מְשֻׁבָּח est ordinatus, ornatus: Sericum enim ut plurimum ad ornatum est expetitum.

Guilielmus Stuckius in periplum Arriani novam planè affert rationem, sed æquè alludentem & instabilem, dum scribit: *Metaxa sericum villosum, quod villutum vulgo vocant: & videtur sic dictum ab ipsâ urbe Axomâ: unde Bohemi antiquum nomen retinentes, adhuc sericum illud axumit appellant.* Huc metaxarii referendi, qui Iuris Consultis vocantur sericũ negotiantes, *adi Schardii Lex. Iuridicum p.* 607. Ulyss. Aldrovand. l. d. p. 115. Et hæc de metaxâ. Ad Serici species veniamus: Et primo quidem *holosericum* contemplemur, quod juxta nominis derivationem est totũ sericum: Unde vestis holoserica. Varro περὶ φθορᾶς κόσμ᾽ apud Nonium Marcellum *c.* 14. *n.* 6. *ubi de stolâ: Mulierem aliam cerneres cũ stolas holosericas.* Heliogabalum primum holosericâ veste esse usum *ex Spartiano & Lampridio ut & Platina in vit. Vrbani I.* discimus, cum ante subsericæ in usu fuissent. Itaque, quoties antę Heliogabali tẽpora mentio fit sericarum vestium, de subsericis capiendũ sicuti fusè ac erudite illud declarat *Aldrovandus l. cit. p.* 115. *&* 116. Post Heliogabalũ passim serica pro subsericis dicuntur. Flavius Vopiscus in Tacito Imperatore, *Holosericã*, inquit, *vestẽ omnib⁹ viris interdixit, id est bombycinam sive holosericam*, explicante Turnebo *adverss. l.* 1, *c.* 13. Aurelianus Cæsar huius modi vestimentum uxori suæ negavit, *ne immodico & nihil profuturo sumptu patrimonium attenuaret suum.* Verba Vopisci sunt: *Aurelianum vestem holosericam neque ipsum habuisse in vestimento suo, neque alteri utendam dedisse: Et cum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, respondisse: Absit, ut auro fila pensentur.*

Vestem

Vestem hanc holosericam *Zonaras T. 3. annal.* βήρυς appellavit, ut & Balsamo: an rectè, judicent doctiores. Scimus birrhos (vere sic vocem βήρυς, quæ Artemidoro in nominandi casu est βηρίον, Suidæ βιρρίον, vertimus) quosdam sericeos fuisse, sed omnem birrhum sericeum aut omnē vestem sericam birrhum esse dictam, pernegamus, adducti autoritate Salmasii *in com. ad Tertull. pallium.*

Polydorus Virgilius de rerum invent. *l. 3. c. 7.* ex puro serico triplex panni genus facit: *Unum, vulgo rasum, quod in eo nullus utrinque sit pilus, apud alios vocatum satin: alterum Damascum, floribus intertextum, quod Damasci, Syriæ in oppido, primum est confectum: tertium villutum, id est villosum, quod ex altera parte villos habet.* Ulysses Aldrovandus hæc paulo fusius illustrat *l. 2. de insectis p. 116. Holosericum, inquit, nemo sanè satis commendare queat, cum propter vestium usum, tum propter cætera, quæ ex eo fiunt ornamenta: Vestes enim inprimis suppeditat, quibus & frigus hyberno tempore, & æstivo calorem pellimus, nec non quæ autumno & vere conveniunt. Felpa vulgò vocatur, qua nobiles pallia sua suffulciunt in hyeme adversus frigus. Velutum enim est valde hirtum. Commendatur eodem tempore velutum, quod vocant simpliciter, Belgæ Fluweal, quoniam hoc quoque pondere suo ac hirsutie calefacit. Æstatē, si mediocris est æstus, laudantur, quæ Ormesina dicuntur, si ingens, quæ Tafetata propter incredibilem levitatem. Vere & autumno Rasa, velutum leve, vulgò Caneveta, tabita &c. Taceo infinita opera, quæ vario modo exornantur, qualia sunt, quæ in Damasco inventa, Taceo, quæ variis illustrantur imaginibus, avium, florum aliarumque rerum, quæ omnia longum foret enumerare. Hæc ille:*

Obiter hic etiam notamus, quod Doctorandis jam antiquitus ex holoserico panno pileus fuerit impositus, preciositate sua insignem Doctoris excellentiam denotans, de quo evolvatur *Limnæus de Iure Publ. lib. 8. c. 8. §. 92, 93, 94.*

Subse-

Subsericum sequitur, cui alia materia intertexta. *Tiraquell. L. Connub. 3. num. 18.* Superior Germania fortasse videtur id appellare **Brugichen Atlaß.** *Adi Bayfium de re vest. c. 5.* Non nunquam etiam sericum vocatum, quando stamen sericum, trama vero aurea. Sic Julius Capitolinus *in Pertinace p. 56. Auctio sanè rerum Commodi in his insignior fuit: Vestis subtemine serico, aureis filis insignior per tunicas penulasque &c.* Quem ad locum Salmasius annotavit, *subtemen scriptorem dixisse pro stamine serico: Quas vestes aureis filis & serico subtemine Græci vocant* χρυσοπήνας: *nam πήνη subtemen: Vestes enim aureo stamine texi non posse notant veteres.* Servius ad illud Virgilii: *Et picturatas auri subtemine vestes*, id est, *filo, quod intra stamen currit, Persio trama dictum:*

*mihi trama figuræ*
*est reliqua: ast illi tremit omento popa venter.*

*Malè quidam subtegmen stamen accipiunt, cum stamen de auro esse non possit.* Hæc ille vir magnus *in not. ad l. c. p. 126.*

Reperiuntur etiã, subsericarum vestiũ alias trama fuisse sericâ, subtemine vero lineo, quæ tramosericæ propriè sunt dictæ: Isidor° *l. 19. Or. c. 22.* alias subtegmine serico, trama autẽ lineâ, quæ subsericæ appellari merẽtur. M. Antonini Philosophi tempore Imperatorem ejusq; Conjugẽ sericum auro intertextum gestasse ex Capitolino discimus in Antonino, qui docet, *Imperatorem inter alia ornamenta & vasa regia, & vestem uxoriam sericam & auratam vendidisse.* Eutropius & Victorius in hac narratione *& suam* interserunt, habentes rationem temporis sui, quo serica veste Augusti utebantur.

Pauca hic subjungimus de serici quadam specie, Parnaginum dicta, annotantibus Talmudistis *ad Esth. 5. v. 1. & c. 6. v. 10.* Pro פרנגן cap. 6. est פרניגן. Videtur esse idem cum eo, quod aliàs פרנדא vocatur. Unde Sota *fol. 48. col. 2. Gemaræ,* משחרב מקדש ראשון בטל שירא פרנדא *Ex quo*

*vastatum fuit templum seu sanctuarium primum, cessavit sericum Parnedinum: Glossa ibidem:* מן משי שירא *Species serici*: Videatur Buxtorfius *in lex. M. Talm. p.* 2384. Et hæc de serici speciebus dicta sufficiant.

## CAP. X.

*Sericum magno in precio olim fuit, & tempore Aureliani Imperatoris* ἰσόχρυσον. *Alciatus correctus. Persia hodiè maximè abundans serico est, indeque bombycinum vili pecunia venit. Exinde in Italiam, Turciam, Hollandiam, Galliam, Hispaniam & Angliam mittitur. Mercatura sericaria quando venerit in Italiam? Hoc nostro seculo in Gallia etiam viguit.*

QUanti sericum initio, quo peregrinis in locis non sine singulari luxu ad cultum elegantiorem est usurpatum, constiterit, apud scriptores legimus. Aureliani Imperatoris ætate fuit ἰσόχρυσον sericum, teste Vopisco in vita ejus. Libra serici centum aureis plus minus veniit. Apud Lampridium statutum legimus in Rhodiis legibus de serico sicco conservato his verbis: *Holoserica si sicca salvata sint, decimas solvunto, tanquam auro paria: cæterum aspergine commade facta, exsiccantor, & ità ad collationem veniunto.* Alciatus *in not. ad l.* 2. *Taciti* suspicatur, sericas vestes, quibus vulgò utimur, non esse easdem cum antiquorum serico ἰσοωδῶς, cum hujus libra venierit auri librâ, quod cum precio serici nostri non esse comparandum arbitratur. At διὰ πασῶν fallitur: Nam, cum non aliud sericum esset, quam quod ex India convehebatur, cujus ortus adhuc dum in Europa incognitus erat, facilè tunc multò preciosius, quam nostro tempore & Alciato vivente, fuit, cum jam nota sit illius origo, & per universam fermè Europam divulgata illius conficiendi ratio. *Sericum* nostrum cum antiquo idem esse juxta essentiam non opus est, ut repetamus: satis hoc dilucidè *in cap.* 8. est demonstratum.

In *Persia*, quæ felix & beata serico est, hodie pondo serici tantum venit duabus marcis Lubecensibus seu florenis, quod olim centum florenis est venditum. Vul-

Vulgò putatur in Persia, cum abundans serico annus est, suprà 20000 Ballas, ut ita loquar, colligi. Balla, ut dicitur, quævis in se continet ducentas decem & sex libras. Kilan ad mare Caspium regio pendit octo mille Ballas. Masanderan bis mille: Karabach bis mille: Schirvvan provincia ter mille, Chorasan ter mille, exceptis illis, quæ ex Georgia & aliis locis seu provinciis sericariis ex Persia exportantur. Ex his omnibus suprà mille Ballas Persia in usus suos non adhibet: reliquas mittit in Italiam, Turciam, Galliam, Hispaniam, Angliam & Hollandiã, sicuti ἀνὴρ ὁλόπτης iste Polyhistor Olearius testatur *in suo Itiner. Pers. cap.* 18.

In Italia trecentos intrà annos ferè ad nostram ætatem usque sericaria viguit mercatura: Quæ in Galliæ regno hoc nostro seculo indies magis magisq; etiam crevit. Aliàs notum est, ex Italia in Galliam tantam serici copiam ante, quam studium lucrumque in serico parando quæsivit ista gens, allatam esse, ut quotannis ultrà viginti mille coronatos aureos in bombycinum impenderit, sicuti mandatum Henrici IV publici juris factum docet, & à mercatoribus est demonstratum. *Consule* Lauremberg. *cent. 3. hist. n. 72.* Adeo successu temporum sericum in Europa Asiaque adauctũ, ut plurimis in locis vilissima hodie prostet pecunia, unde etiam tantus luxus in serico gestando orbem invasit, de quo jam pluribus differemus.

## CAP. XI.

*Sericum initio Regium fuit gestamen, ast luxus illud jam posthabuit Augusti ævo. Adducuntur testimonia scriptorum varia, quibus luxum in Cois vestibus taxant. Coa bombyx feminas denudavit obtenerrimam subtilitatem & διαφάνειαν. Augusti tempore luxum quidem invaluisse, at sub sequentibus Imperatoribus magis magisque propagatum esse monstratur. Tiberii edictum de levitate Virorum in serico gestando coercenda. Patres sæpius istam tetigerunt luxuriam. Interdictum Theodosii, quod tamen successu seculorum non observatum.*

CUm antiquorum scripta accuratius paululum evolvimus, ad usus sibi proprios sericum Principes vindicasse reperimus, adeò, ut qui sericum gestaret, ex magna esset stirpe oriundus, teste etiam Ambrosio *l.5. hexa. c.25.* Collimat eò *Claudianus, Honorii Principis apparatum describens paneg.4. Consul.* cum ait:

*tribuere colorem*
*Phœnices, Seres subtegmina, pondus Hydaspes.*

Apud Eutropium *l.7.* legimus, C. Caligulam *blattâ & serico & cocco in tortos funes parasse in insignem luxum*, quod & Heliogabalum fecisse Lampridius annotavit. Idem in vitâ Alexandri scribit: *Vestes sericas ipse raras* (sic enim legerim potius, quam gratas, ubi vulgò scriptū est ratas) *habuit: holosericas nunquam induit: subsericam nunquam donavit. Consule Petr. Fabrum l.1. hor. Semestr. c.16.* Ut hic taceam ista exempla, quæ priori capite de Principibus sunt in medium adducta, Glossa quædam Talmudica nostrum assertum confirmare potest; לבושים סריקון *induti serico.* Glossa, *vestimentis Regiis*, in chagigâ *fol.16. col.2.* Non legitur ibi סריקון של זהב, ut citatur in Aruch, & inde in Kimchio & thesauro Pagnini in שרק. Nec ibi *figuratum* significat, sed est vox latina, *Sericum.* Et סריקון של זהב, est *sericum auro intertextū. Schab. fol.20,2.* quale hodie artificio summo in Persiâ & Turcia conficitur.

Theodosii edictum huc facit, *l.4. Cod. Temperent universi, cujuscunque sint sexus, dignitatis, artis, professionis & generum, ab hujusmodi speciei possessione, quæ soli Principi ejusque domui dedicatur, nec pallia quis tunicasque domi sericas contexat, aut faciat.*

Ut ita Regum ac Principum gestamen sericum fuisse pateat. Sed luxuria quo non processit? Circà tempora Augusti scriptores jam luxum taxarunt in Cois vestibus. Horatius *l.1. Serm.2. v.101,*

*Altera nil obstat: Cois tibi penè videre est*
*Ut nudam:* vide Torrentium *ad h.l.* Pro-

Propertius *l.2. el.1.* *Sive togis illam fulgentem incedere Cois,*
*Hoc totum è Coâ veste volumen erit.* *adi* Passeratium.

Ovidius l.2. *Amor: Sivè erit in Cois, Coa decere puta.*

Tibullus *l.2. el.6. Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa*
*Texuit, auratas dispositque vias.*

Ex his locis aliisque cognoscimus, maximam in serico gestando viguisse luxuriam. Eleganter eam Seneca, morum ille vitiorumque publicorum & descriptor verissimus, & accusator acerrimus *l.7. de benef. c.9.* *Video, inquit, fericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nil est, quo defendi corpus aut denique pudor possit: quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse jurabit. Hæc ingenti summâ ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.*

Pellucebant enim *tenerrimâ*, ut Ammianus loquitur, *subtilitate.* Ideòque, quoties pellucidam vestem, pellucentem togam legimus, de sericâ seu Coâ capiendum est, vide Octavium Ferrarium *de re vestiar. l.1. c.10.* Martialis l.5, epigr.68. *Femineum lucet sic per bombycina corpus.* Scitè Livius Andronicus:

*Aut nunc alia te quæpiam*
*Asiatico ornatu affluens,*
*aut Sardiano ac Lydio*
*fulgens decore & gloria*
*pellicuit.*

Hæ vestes Coæ ad instar capilli tenues & molles ob διαφάνειαν nullum auxilium corpori & pudori afferebant. Hinc *Achilles Tatius*; Διὰ τῆς ἐσθῆτος τὸ σῶμα ὑπερφαίνετο. Item: τὸ σῶμα τοῦ κάτοπτρον ὁ χιτών. Unde Gebhardus ad illum Propertii locum *l.1. eleg.2.*

*Et tenues Coâ veste movere sinus,*

Contingebat, inquit, ut tenuissima ista vestis impulsu ventii in-

ti inter ambulandum vibraretur: quod lascivi leveſque homines non prohibebant.

Tersè Satyricus Juvenalis *sat.6.v.258.*

*Hæ ſunt, quæ tenui ſudant in cyclade, quarum*
*Delicias & panniculus bombycinus urit.* id eſt, hæ ſunt teneræ & delicatæ admodum feminæ, quæ ſudant in circulari rotundâ veſte ex tenuiſſimo filo facta, quas m. pannus bombycinus tenuiſſimus pōdere gravat. Atq; hæc de luxu circà veſtes Coas & ſericas, quē primū invaluiſſe circà Auguſti tempora, propagatum autem magis magiſq; ſequentium Principum ætate, conjicio ex verbis Senecæ, qui Neronis tempore vixit & devixit *epiſt.90.* *Quod ſi illi (Auguſto) contigiſſet videre has noſtri temporis telas, quibus veſtis nihil celatura conficitur, in quâ, non dico nullū corporis auxilium, ſed nullum pudori eſt.* Vidit quidem Auguſtus luxum ſuâ ætate, ſed non tantâ cum turpitudine, ut poſt fata ipſius eſt introductus, cum etiam Viri ſericum geſtare non erubuerunt. Quâ animi levitate proterviâque ſine dubio Tiberius commotus decretum ſanxit, *ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica viros fœdaret*, docente illud *Tacito l.2.annal. Dione Caſſio l.37. ſect.418. p.701.* ὁ Τιβέριος, inquit, ἀπεῖπε ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἀνδρα χρῆσθαι. *Tiberius edixit, ne quis vir ſericâ veſte uteretur.* Adi Tiraquell. *l.3. L. Connub. num 36.* Petrum Fabr. *hor. ſemeſtr. l.1. c.16. p.91.* Claudianus in carm. de Stiliconis filio l.6. ſcribit, ipſum pro equi ornamentis uſum frenis ſericis.

*Parte alia ſpumis fumantem ſerica frena,*
*Purpureo primæ ſignatus flore juventæ*
*Eucherius flectebat equos.*

Hinc Tertullianus, qui in Africâ Severi & Caracallæ temporibus floruit, vir ſanctitate ac eruditione maximè conſpicuus, toties levitatem in ſerico geſtādo taxat *in lib. de pallio.* Primum conqueritur *c.3.* materiarum paratu-

ram

ram, quæ necessitati hominum inserviit primò tegendoq; corpori, dehinc inflando ex ambitione cessisse. Deinde Latrinarũ Antistites, id est, Cloacinæ Veneris Sacerdotes, etiam sericum ventilare perstringit : *Et alibi de Alexandro quodam infit : Anhelum pectus serico ventilante restrinxit.* Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, qui Philippo Aug. III. & eius filio Cæsare II. COSS, hoc est circa A.C. CCXLV*III.* floruit, in lib. de disciplina & habitu Virginum scribit, *sericum & purpuram indutas Christum induere non posse.* O miserias!

Hieronymus l. 2. adv. Jovian. inter exprobrationes dicit : *Nunc lineis & sericis vestibus, & attrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.*

Idem ad Lætam de institutione filiæ præcipit: *Spernat bombycum telas, Serum vellera & aurum in fila lentescens. Talia vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.* Et in Marcellæ viduæ epitaphio ad principiam Virginem : *Illæ enim solent purpurisso & cerussa ora depingere, sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum portare cervicibus &c. nostra vidua talibus usa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret, aurum usque ad anuli signaculum repudians.*

Claudianus non ineleganter *l. 2. in Eutrop.*

*Vestis odoratæ studium, laus maxima, risum*
*per varios movisse sales, minimeque viriles*
*munditiæ, compti vultus, oncrique vel ipsa*
*serica.*

Ut alia sileam testimonia scriptorum Ethnicorum, maximèque patrum primitivæ Ecclesiæ : Lege, si placet, *Rosini antiquit Rom. l. 5 c. 31. p. 559. seqq.* Petri Fabri *horas Semestr. l. 1. c. 16.* Ulyss. Aldrovandum *l. cit. p. 115.*

De Theodosio Augusto ante percepimus *ex lib. 4. Codicis*, ipsum morem vestiendi sericodenuò prohibu-

Ne

isse illis, qui non essent ex principis domo oriundi: Quod tamen quam seriò sit observatum Ammianus Marcellinus l. 23. docet, dum ait: *Seres nentes subtegmina conficiunt sericum, adusus antehac nobilium, nunc etiam minimorum sine ulla discretione.* In Italiæ quibusdam civitatibus decreto cautum est contrà sericatos ac sericarios more veterum: Decretum id vulgò *la pragmatica* dicitur, teste Aldrovando: Quod & in aliis Regnis factum esse sæpius nostro & præterito seculo historiæ monstrant *Eleganter nobiles superbos sui ævi* perstringit sequentibus Ammianus verbis. *Prænominum claritate conspicui quidam, ut putant, in immensum semet extollunt* &c. *Nonnullos sericis fulgentes indumentis, ut ducendos ad mortem, manipulatim concitato fragore sequitur multitudo servorũ.* Non abludunt multũ Budæi verba, dũ in pandectis scribit: *Multi Codrose beatiores putãt, si holosericati & machærophori conspiciantur: rejectâ in humerum veste subnixi, grassantes magis, quam ingredientes, interim protervè quemque protrudentes.*

## CAP. XII.

*Sericum etiam in re Medica usum habet. Subjunguntur coronidis loco allegoriæ quædam à bombycibus desumptæ. Innuit primo vitæ voluptatem. Deinde conscientiæ speculum præbet & curæ mundanæ. Denotat etiam resurrectionem carnis. Adducitur locus Basilii. Epilogus.*

TAndem quædam de serico, quatenus usum in re Medica præstat, in medium deposcemus. Utilitatem ejus insignem docet confectio illa celebris ad hilaritatem excitandam à Mesueo, ut ajunt, excogitata, quæ *Alchermes* vulgò dicitur: Intelligitur etiam ex *Actuario, l. 5. c. 6.* annotante, *crudum sericum antidotis quibusdam cordi utilibus misceri.* Avicenna & Serapion laudes ejus in concilianda lætitia cecinerunt. *Scalig. exercit. 58. sect. 9. breviter suo more*: Alii, *inquit, litigarunt odio Arabum Philosophorum, qui serico scripserunt corroborari cor: Ajunt hi, sericum,*

*cum esse frigidum: quid morus frigida.* Videatur ille etiam *ad l.2.* Theophrasti *de caus. Plant. c. 6.*

Vincentius Bellovacensis *spec. nat: hist. l* 20. *c.* 119. asserit: *fericum combustum vulnera putrida mundare ac cor corroborare: Item cum sale ustum dentium curare rubiginem.* In vulneribus capitis duræ Matri applicatum cerebrum corroberat, & à putredine tuetur, maximè v.m. fericum cocco tinctum. Fieri audio ex eodem funiculos, quibus si viperæ fuerint suffocatæ, ad anginam felici successu Medici eo utuntur. Consule Aldrovandum d. l.

Coronidis loco allegorias quasdam de Bombyce nostro adducere animus est, quibus id præmittimus, quod, cum omnia elementa vestitum suppeditent, aër quoque efficiat, ut bombyx per eum stamina deducat, unde vestes parantur.

Incertus quidam Autor bombycem nostrum sic comparat cum vitæ voluptate: ὁμοία ἐστὶν ἡ τῦ παρόντος βίυ τερπνότης Ινδικῷ σκωληκίῳ, ὅπερ τῷ φύλλῳ τῦ δένδρυ συντυλιχθὲν, καὶ τῇ τροφῇ ἀσχολη θὲν συνεπνίγη ἐν αὐλῷ τῦ μεταξίυ κυκλίῳ. *Vitæ præsentis voluptas Indico vermi similis est, qui folio arboris involutus & pabulo inhærens, tandem suffocatur in ipso metaxæ suæ folliculo.*

Geminianus in *Phys. sua allegor. l.* 5. *c.* 26. vermen hunc Conscientiæ speculum præbere docet. *Conscientiæ*, ait, *suæ domum debet homo quilibet ædificare ante omnia, deinde aliis intendere exemplo bombycis: Hic enim primò domum fabricat, in qua contrà frigus se defensat, postea verò telas texit more araneorum. Domus interior hominis Conscientia est, quam sapientia ædificat, pœnitentia purgat &c. Hac domo composita potest securè homo exterius telas texere.* id est, *exterioribus rebus intendere ordinandis ad aliorum utilitatem.*

Eodem libro c. 33. aliam affert similitudinem de cura mundana: *Cura*, inquit, *& occupatio temporalium multa evacuat hominem à virtute interiore: cujus exemplum*

*apparet in bombyce, qui telas texit in morem araneorum. Ille (sc. homo) ad telas texendas fila aggerit, qui ad temporalium rerum dispositiones & occupationes vitæ suæ studium convertit: quia dum seculi negotiis totaliter implicatur, interius virtutibus penitus evacuatur.*

D. Basilius, Episcopus Cæsariensis, jubet mulieres, quando sericum gestant, hoc intueri, & resurrectionis futuræ inde capere argumentum. Quâ enim potentia Deus ex erucis papiliones facit, eâdem & corpora nostra immutabit in spiritualia. Verba ejus ita se habent hexaem. homil. 8. Τί φάλε οἱ ἀπιστοῦντες τῷ Παύλῳ περὶ τῆς κατὰ τὴν ἀνάστασιν ἀλλοιώσεως, ὁρῶντες πολλὰ τῶν ἐρίων μορφὰς μεταβάλλοντα; ὁποῖά καὶ περὶ τὸν Ἰνδὸν σκώληκα ἱστορεῖται τὸ κερασφόρον· ὃς εἰς κάμπην τὰ πρῶτα μεταβαλὼν, εἶτα πρωϊὼν βομβυλὶς γίνεται, καὶ οὐδὲ ἐπὶ ταύτης ἵσταται μορφῆς, ἀλλὰ χαύνοις καὶ πλατέσι πετάλοις, ὑπο πτεροῦται. Ὅταν οὖν καθέζησθε τὴν τούτων ἐργασίαν ἀναπνιζόμεναι ἀπὸ γυναῖκες τὰ νήματα, ἃ πέμπουσιν ὑμῖν οἱ Σῆρες πρὸς τὴν τῶν μαλακῶν ἐνδυμάτων κατασκευήν, μεμνημέναι τῆς κατὰ τὸ ζῶον τοῦτο μεταβολῆς, ἐναργῆ λαμβάνετε τῆς ἀναστάσεως ἔννοιαν, καὶ μὴ ἀπιστεῖτε τῇ ἀλλαγῇ ἣν Παῦλος ἅπασι κατεπαγγέλλεται. *Quid dicitis? qui non creditis Paulo de resurgentium illa immutatione, cum videatis, ex aëriis animantibus multa suas immutare formas: quæ etiam de verme Indico, cornibus prædito, referuntur. Hic primo immutatus in erucam ulterius progressus fit bombylius: neque in hac forma persistit, sed bracteolis alarum mollibus ac latis volucris fit. Quando igitur, vos mulieres, consideris, eorum opus retexentes, videlicet telas, quas ad vos usque Seres transmittunt ad molles istas vestes faciendas, memores sitis istius animalculi immutationis in varias formas, atque inde diluci dum capite resurrectionis argumentum, neq; fidem derogate futuræ immutationi, quam omnium fore communem annunciat.*

Nec sanè quicquam facilè reperitur, quod resurrectionem magis confirmat, quam hic vermis, adi Simonem Majolum Episcopum Vulturiacensem in diebus Canicular *de insectis* p, 89 *seqq. Vlyssem Aldrov, de Insectis l, 2, c, 7.*

Atque hæc sunt, quæ de bombyce nunc ex antiquitate excerpere publicique juris facere volui.

Tu, Candide Lector, hæc æqui bonique consule, & interea

*Si quid novisti rectius istis*
*candidus imperti, si non, his utere mecum.*

Nos Deo soli pro gratia præstitâ acclamamus:

TIBI, TRINUNE DEUS, SIT GLORIA!

B15936